



# Notes du mont Royal

[WWW.NOTESDUMONTROYAL.COM](http://WWW.NOTESDUMONTROYAL.COM)



Cette œuvre est hébergée sur «*Notes du mont Royal*» dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES  
Google Livres

# SINENSIS IMPERII LIBRI CLASSICI

## SEX,

NIMIRUM

ADULTORUM SCHOLA,  
IMMUTABILE MEDIUM,  
LIBER SENTENTIARUM,  
MEMCIUS,

FILIALIS OBSERVANTIA,  
PARVULORUM SCHOLA,

*E Sinico idiomate in latinum traducti*

A


P. FRANCISCO NOËL Societatis JESU

MISSIONARIO.

*Suum B. V. Mariæ in Rottenbuech*  
SUPERIORUM PERMISSU.



PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ, in Colle-  
gio Soc. Jesu ad S. Clementem, per Joachimum Joannem  
Kamenicky p.t. Factorem, Anno 1711.



# PRAEFATIO AD LECTOREM.



Anclatinam sex Librorum Clas̄icorum  
Sinensium versionem Tibi exhibeo ,  
Amice Lector , non tantū ut discas,  
quæ Sinæ scripferunt , sed & ut agas , quæ recte  
senserunt ; multa enim & longa antiquitate  
commendata , & vera virtute digna in se conti-  
nent ; nec fortasse in doctrina , si substantiam ,  
non modum sp̄ectes , antiquis Græcis impares .  
Nè tamen expectes libros , qui rerum inventio-  
ne , partium dispositione , ordinis partitione ,  
argumenti connexione , uti recentiores ferè con-  
fueverunt , statim & oculos & animum rapiant ;  
more Veterum loquuntur ; rem , non artem  
quærunt ; nunc sententias avulsas , nunc dia-  
logos , nunc exempla proponunt ; quamvis  
etiam eleganti connexi sermonis stylo , & ordi-  
nato dicendi cursu non raro ratiocinium institu-  
ant , ac præsertim Doctoris Memcii liber , qui  
familiari argumentandi & persuadendi artificio  
singularem concatenatorum dialogorum ordi-  
nem servat .

Deinde nec reconditam , aut sublimitate miram tibi finge doctrinam ; solam Ethicen vulgarem , morum compositionem , Familiæ disciplinam , & ferè semper boni regiminis , ad quod omnia sua dicta referunt , artem hi libri spectant . Unde non tam ipsa nova argumenti ac materiæ præstantia , quām ingens hominum multitudo , qui illis dant operam , me impulit ad aggredendam istam laboriosam versionem ; siquidem omnes pueri Sinenses , qui in urbibus , oppidis , pagis artem legendi & scribendi addiscunt , (& sunt copiosissimi , ) hos quinque libros , *Scholam Adultorum* , *Librum Sententiarum* , *Medium Immutabile* , *Memcium* , *Scholam Parvolorum* non tantū legunt ac perlegunt , sed etiam penitus memoriaz mandant . Et quicumque ad obtainendum Baccalaureatū gradum se examini subjiciunt , decerptas ex his libris sententias ad breves quasdam orationes componendas à provinciali litterarum Præfecto accipiunt .

Insuper omnibus Baccalaureis imponitur eodem modo addiscendus filialis Obedientiæ libellus , præter unum ex aliis quinque libris classicis dictis *On Kim* , quem ad suum arbitrium unusquisque

quisque eligit; ideoque istum filialis Observantiae libellum etiam vertendum & latinitate donandum judicavi. *Ou Kim*, id est, quinque classici priscorum Sapientum libri, quorum nomina sunt hæc: *Xu Kim*, liber Annalium Imperialium; *Xi Kim*, liber Carminum; *Ye Kim*, liber mutationum ac productionum; *Li Ki*, liber Rituum; *Chun Cieu*, Ver & Autumnus. Hos non judicavi vertendos, tum quia ab omnibus & singulis, ut jam dixi, Baccalaureis non perdiscuntur, tum quia eorum nonnulli sunt valde prolixii, parùm succosi, nec minus tædiosi, præter aliarum etiam occupationum laborem, qui ad hoc opus suscipiendum nec tempus, nec otium concessit.

Vides itaque penè innumerabiles esse discipulos, qui istis sex supra memoratis libris assidue operam navant, & numero quidem longè plures, quam qui in tota Europa prima linguae Latinæ rudimenta ponunt. Omitto Tumkinenses, Cochinchinenses, Coreanos, & alios multos Chinæ finitos populos, qui istis etiam addiscendis animum passim intendunt. Numquid igitur, quod tam multi populi callent,

hoc nōsse Europæos addēcet? Maximè cùm tam  
sæpè de scientia Sinica sermonem faciant; iind&  
subinde inter se litigent; sed quid verè sentiant  
Sinæ, defectu exactæ librorum Sinensium ver-  
sionis, plerumque non possunt satis dijudicare.  
Quamvis enim à centum & amplius annis, ex  
quo Missio Sinensis cœpit exordium, istorum  
librorum versio aliquoties tentata, imd & ut-  
cumque inchoata fuerit, nondum tamen huc  
usque absoluta prodiit; quocirca hanc, utpote  
absolutam, nec fortè ingratam nec inutilem  
fore existimo; præsertim cùm verum ipsorum  
Interpretum Sinensium, & originalem sensum  
accuratè sequi studuerim, propriam tamen phra-  
sis latinæ claritate in pro phrasis Sinicæ elegantia,  
quæ de more est maxima, afferre conatus; ide6-  
que interdum Authoris menti magis, quam ver-  
bis, nè nimis obscurus forem, me adstrinxi.  
Verūm nè sp̄eres quoad latinitatem & stylū ulti-  
mâ limâ politum opus; advertas enim & in Mis-  
sione confectum, & in festinatione impressum.  
Genuinum autem librorum sensum, plerumque  
intellectu non adēd facilem, me sat assecutum  
fuisse, prudens Lector, forsitan tibi persuadebis, si  
cogi-

cogites mē post longum viginti annōrum & amplius studium , quibus isti linguae Sinicæ addiscendæ & ipsis libris pervolvendis non segniter vacavi, hanc tandem versionem in lucem edere. Attamen cùm sit hominis posse labi & falli, sicuti forte aut in verborum significatione , aut in sermonis connexione lapsus quosdam deprehenderis , dummodū bene idiomatis & librorum Sinicorum sis gnarus , eos corrigas velim ; non injuncta accidet correctio.

Denique cùm Sinæ in ipsis libris classicis apponere soleant notas , quæ aut sententias aut sensum discriminant ; idē in his versionibus etiam curavi ad marginem adscribi numeros , qui illis notis respondent.

Atque hæc generatim dicta sufficient ; speciatim enim unicuique libro ad clariorem ejus intelligentiam duo verba insuper præponam. Frure , Lector , patientiæ non modicæ fructu ; & dum leges Sinarum doctrinam , Christianorum vitam cogita. Utinam utrisque lapis angularis fiat CHRISTUS !



# INDEX ET SYNOPSIS CAPITUM ET ARTICULORUM.

## LIBER I.

### Adultorum Schola <sup>SEU</sup> Doctrina.

**H**Ic liber dividitur in duas partes.

In prima (pagina 10.) sunt ipsa Confucii verba, quibus asserit Adultorum doctrinam consistere in reparanda propria & alienæ rationalis facultatis primitiva claritate, & in querenda hujus claritatis summa perfectione, in qua sola fitendum est. Ut hoc autem obtineri possit, oportet primò perscrutando rerum naturas, acquirendo veri Boni & veri Mali cognitionem, stabiliendo voluntatem in veri Boni amore, & in veri Mali odio, tenendo cordis rectitudinem, componendo suos mores, reparare primitivam propriæ rationalis facultatis claritatem. Deinde ex hac propria reparatione sequitur ultrò aliena, videlicet totius Familia concordia, Principatus bonum regimen, univerfi Imperii pax ac tranquillitas.

In secunda (pag. 13.) hanc succinctam Confucii doctrinam, ejus discipulus Tssem-Tsu decem parvis capitulis explanat. In primo explicat quid sit reparare primitivam suæ rationalis facultatis seu suæ rationis facultatem. In 2. quid sit renovare alios, sive populum. In 3. quid sit in summa perfectione ac bonitate sistere, In 4. quid sit unum primariò, id est, suæ reparationem; & alterum secundariò, id est, aliorum renovationem, speculare. In 5. quid sit investigare rerum naturas, & perfectam veri Boni, & veri Mali notitiam acquirere. In 6. quid sit suam voluntatem in veri Boni amore, & in veri Mali odio stabilire. In 7. quid sit veram cordis rectitudinem tenere, ut possit quis vitam & mores suos ritè componere. In 8. quid sit vitam & mores ritè

com-

## *Index & Synopsis Librorum.*

componere, ut possit quis totam suam Familiam bene dirigere. In 9. quid sit totam Familiam pulchro discipline ordine, pace, concordia bene dirigere, ut possit quae Principatum suum recte gubernare. In 10. quid sit Principatum recte gubernare, populum amando, virtutem sectando, sapientes Ministros eligendo, moderatas opes congregando, ut possit quis suo exemplo universum Chinæ Imperium commovere, ad virtutem excitare, componere, pacare.



## LIBER II.

# Immutabile Medium.

**H**ic liber continet 33. parva Capitula, seu Articulos.

In primo cap. (pag. 41.) explicat quid sit natura, naturæ duxus, & recta vita disciplina; in his enim consistit Immutabile Medium seu recta via, à qua non licet recedere, quin erretur; & nè ab hac recedatur, invigilandum est primis & subtilibus propriis cordis commotionibꝫ. Deinde harum commotionum causa, effectus, concordia explicatur.

In 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. cap. (pag. 43.) Hoc Immutabile Medium, in quo nec per excessum, nec per defectum peccatur, quoddque à paucis servatur, per varia prudentiae, pietatis, fortitudinis exempla deducitur. Sapientes, qui in his virtutibus Immutabile Medium tenuere, referuntur.

In 12. & 13. cap. (pag. 47.) Ista Medii via tum quoad speculationem, tum quoad praxim, est facilissima simul & difficillima, patens & recondita, arcta & vasta.

In 14. cap. (pag. 50.) In omni negotio & statu Sapiens sui officii limites non transflit.

In 15. & 16. cap. (pag. 51.) Immutabile Medium est similis longæ vie, vel spiritus nature ac virtuti.

In 17. 18. 19. cap. (pag. 52.) pro exemplo Immutabilis Medii affertur filialis Principum Xun, Ven Vam, Vu Vam, Cheu Kum observantia, & sanctitæ ab his parentandi leges ac ritus.

In 20. cap. (pag. 56.) ostenditur, quod ad bonum aliorum regimen prærequiratur sui ipsius regimen, sive suorum morum compositio. Morum compositio sita est maxime

## *Index & Synopsis Librorum.*

in tribus virtutibus, prudentia, pietate seu cordis rectitudine, fortitudine. Prudentia ad cognoscendam, pietas ad sequendam, fortitudo ad perficiendam hanc communem omnibus hominibus Immutabilis Medii viam conducit ac requiritur. Deinde exponuntur novem universales ritè imperandi leges. Harum omnium basis est vera proprietatum morum composicio, Immutabili Medio acquisita. Veritas autem debet esse tum in corde & affectu, tum in opere & effectu; ad veritatem enim tamquam ad primum principium omnia referuntur. Veritas est Cæli agendi via; & veritatis studium, est hominis agendi via ad acquirendum Immutabile virtutis Medium. Hoc studium debet esse diligens & constans.

In duodecim sequentibus Capitulis (pag. 62.) explicatur immensa perfectio viri sapientis, qui summam virtutis veritatem assecutus est. Hac veritate Sapiens non tantum se, sed etiam alios perficit; rebus futuri prospicit, eas quasi prævidendo; ad omnia se extendit sive in cælo, sive in terra. Si sit Princeps, optimas leges felicissimo successu sancit. Ejus via est similis Cæli virtutum universalis, tum particulari; illam ubique omnes suspiciunt ac colunt.

In 33. cap. (pag. 71.) ad acquirendam hanc summe veritati, in qua Immutabile virtutis Medium situm est, perfectionem non requiruntur facta ardua, insolita, fulgentia; sed opus est virtute interiori, occulta, imperceptibili.



## LIRER III.

### Sententiarum Liber.

Cum totus hic liber res inter se disjunctas complectatur, non potest facile earum compendium aut argumentum proponi; ideo indicabo tantum nonnulla, de quibus præcipue agunt singuli Articuli. Sunt ergo hæc:

1. Artic. (pag. 83.) Diversæ sapientis dotes, virtutes, munia sive in privato, sive in publico vita statu.

2. Artic. (pag. 86.) Principis munus ad populum bene regendum. Filii erga Parentes observantia. &c.

3. Artic. (pag. 90.) Prescripti parentandi Ritus. Quidam eorum transgressores referuntur & arguuntur. De Spirituum cultu. De legi us imperialibus. De arte jaculandi. De Musica.

4. Ar-

## *Index ē⁹ Synopsis Librorum.*

4. Artic. (pag. 102.) *Discrimen inter virum pium & non pium; inter Sapientem & non Sapientem. Sapientis agendi modus & munus. Filii erga Parentes officium.*

5. Artic. (pag. 105.) *Confucius fert judicium de diversis quorumdam suorum Discipulorum, & aliorum dotibus, virtutibus, defectibus. Pietas, seu cordis rectitudo, que, quia in hominii animo latet, non potest ex exteriori virtutis specie certo cognosci.*

6. Artic. (pag. 111.) *Aliorum Confucii Discipulorum aptitudo ad regimen. Eorum discendi & proficiendi ardor. Modus dandi & accipiendi. Pietatis munia.*

7. Artic. (pag. 118.) *Varia Confucii effata de se submissè sentientis, & de suo agendi modo. Ejusdem Confucii laudes à Discipulis celebrare.*

8. Artic. (pag. 125.) *Elogia antiquorum Principum & Imperatorum Ven Vam, Yu, Xun, Yao. Quædam sapientis Discipuli Tsema Tsu effata, & monita. Sapientis officia.*

9. Artic. (pag. 129.) *Varia in Confucii ejusque doctrinae laudem effata. Confucii modestia de se submissè & humiliter loquentis. Nonnulla ad sapientiam addiscendam præcepta.*

10. Artic. (pag. 136.) *Exterior Confucii vivendi modus refertur ab ejus Discipulis nimirum modus agendi intra & extra domum, loquendi, gradiendi, vestiendi, comedendi, bibendi, dormiendi, &c.*

11. Artic. (pag. 140.) *Confucius sermonem faciendo de diversis suis Discipulis, alios laudat, alios arguit, aliorum animum explorat.*

12. Artic. (pag. 148.) *Modus colendi pietatem, seu cordis rectitudinem, populum regendi, tributa exigendi, virtutem virtuti accumulandi.*

13. Artic. (pag. 154.) *Recti regiminis documenta. Dotes & virtutes, que in viro pio ac sapiente requiruntur.*

14. Artic. (pag. 159.) *Vir sapientis officium. Cæli providentia erga Regna. Vir perfectus, quis? Regis Minister actiones & dotes. Ardor boni regiminis. Sapientis virtutes.*

15. Artic. (pag. 169.) *Diversa effata circa Sapientis virtutes & regendi artem.*

16. Artic. (pag. 174.) *Regius Minister debet avertire Regem à bello injusto. Prævi regiminis damna. Tria amicorum & amorum genera prosunt, tria ob sunt. Sapienti quænam cavenda? Quanam cogitanda? Quomodo Confucius suum filium instrueret?*

17. Artic. (pag. 178.) *Mens & opinio Confucii erga aliquos Praefectos à suis Dominis deficiente. Quinque virtutes in viro Principe necessaria. Sex præclaras effata, & sex horum defectus. Laus & utilitas libri Carminum. Triennalis*

## *Index & Synopsis Librorum.*

*luctus pro patris & matris morte. Quadam hominum exosorum, aut sordidorum genera.*

18. Artic. (pag. 186.) *Laws aliquot Principum antiquorum & Praefectorum. Illecebra mulierum bonum regimen perturbant. Gestæ nonnullorum Sapientum peculatam vitam agentium. Diversi Musices Praefecti in convivis adhibere soluti. Boni regiminis quedam regule.*

19 Artic. (pag. 191.) *Quis verus sapientia Alumnus? ejus munia. Alios docendi norma. Obsecratio, & law Confucii.*

20. Artic. (pag. 195.) *Reservatur series & primordia Imperatorum Yao, Xun, Yu, Chum Tam, Vu Vam. Deinde nonnullæ boni regiminis virtutes, & mali vices.*



## **LIBER IV.** **Memcius.**

**LIBRI I. CAPUT I. pag. 209.**

**D**icitur Memcius cum Regulo Leam hoc iam sequentia edisserit: *Sapiens Princeps ad bene regendum, non utilitatem & quæstum, sed pietatem & aequitatem querere debet; tunc si habeat amoenitatis loca, illius securè fruetur; insipiens Princeps non potest illius securè frui. Bonum regimen parit populi frequentiam. Radix autem boni regiminis est prospicere rebus ad populi victum necessariis, v. gr. rei agrariae, punctioni, arborum amputationi, agrorum divisioni, bombycum & animalium domesticorum alendorum utilitati. Tunc populi amor oritur erga Principem. Quo amore habito, facile possunt & leges sanciri, & instructiones dari, & schole erigi. Tempore famis Princeps egenti populo diligenter opituletur, nec alat iniutilium animalium turbam, que hominum fame morientium cibum devorant; atque ita immisericordi regimine eos non enecet. Sit parcus in paenit, modicus in tributis, sollicitus in agricultura, providus in morum instructione. Tunc alii populi, qui à suis Principibus tyrannice opprimuntur, ad eum convolabunt, & se ei ultrò subdant.*

*Postea agendo cum Regulo Siuen Vam, eamdem etiam ritè imperandi artem  
cum*

## *Index & Synopsis Librorum.*

eum edocet. Hic Regulus ex aspectu bovis tremiscentis, qui ad macellum trahebatur, commotus ad commiserationem, jussat eum à morte eximi. Inde Memcius arripit occasionem eum bortandi, ut istum innatum commiserant animi affectum, quem in bovem exercuit, in populum exerat, piūmque ac benignum regimen teneat; nec facultatem, sed voluntatem tantum posse ei decesse variis similitudinibus probat, nihilque esse periculosius, quam cor in pondere & mensura errare. Denique suadet, ut non frustra vi & armis, sed utiliter pietate & aequitate ad Imperii fastigium asperget procurando omnia, quae sunt populo necessaria ad commodam sustentationem & habitationem.

---

## **Memc. Lib. I. Cap. II. pag. 227.**

**M**emcius ostendit Regulo Sien Vam Musice amorem Principi prodeesse ad bonum regimen ob consimilem & sonorum & animorum concordiam, dummodi Princeps suam Musicam seu suas delectationes cum populo communes faciat; nec velit ipse solus gaudere, dum interim populu pre inopia gemit, & perit. Deinde Princeps non vilem hominum, que unum bullientis sanguinis impetum sequitur, sed illustrem Herorum, que unam aequitatis rationem spectat, fortitudinem amet. Si Princeps ex populorum gaudio gaudeat, & ex tristitia tristetur, omnium animos sibi devinciet. Olim Principes visitando suas terras, non gravamen, sed levamen populo afferebant; nunc contrà. Exemplar boni regiminis in Principe Kim Kum, qui super sapienti sui primi Ministri consilio jussit Musicam componi, & in Principi Ven Vain, qui maximè viduos, viduas, orphanos, senes liberis destitutos adjuyabat. Honestus sive opum, sive voluptatum amor non obest bono regimini, sed Principis durties & incuria. Unde Princeps antequam aliquem ad magnam dignitatem evexat, diligenti priùs examine utatur, oportet; nec statim aliorum dictis credat. Regii enim Ministri sunt instar opificis, qui altum exstruit aedificium; & instar Lapidarii, qui preciosam gemmam elaborat. Vi & crudelitate Regnum contra populi voluntatem occupare, pericolosum est; contrà, dum populus tyrannide oppressus se ultrò subdit. Benignitas exercenda in populum, ut postea data occasione, suum Principem & bellici duces in præliis non deserat. Varia monita pro exiguorum Principatuum Dynastis ad se tuendos contra vicinos Principes potentiores. Vir sapiens Parentibus defunctis parentes juxta suas presentes facultates.

**Memc. Lib. I. Cap. III. pag. 249.**

**Q**uando populi tyrannide opprimuntur, siquā Princeps pium ac benignum regimē exerceat, tunc facilimē omnes ad se allicit, & novam Monarchiam aūspicatur. Sed ejusmodi Princeps jam pridem non reperitur. Cordis ars immobiliter obfirmandi, ut non concutiatur sive in rōbus dubiis, sive in periculis. Referuntur exempla eorum, qui hac arte claruerunt. Ut hēc obtineri possit, adhibenda est mentis intelligentia ad dissolvendas speculationis dubitationes, & vitalis aura vis ad pervincendas operis difficultates; & studio quidem constanti, ac non precipiti. Laus aliquot Sapientum antiquorum, & maximē Confucii. Modus regendi duplex: Archontum, & Imperatorum; illi armis & virium auxilio, hi pietate & virtutum exemplo regunt; illi homines & non corda, hi homines & corda sibi subdunt. Tempore pacis vacandum bono regimini, non otio aut solis voluptatibus. Ad officia & dignitates digni dumtaxat, & apti evehendi. Benignitas in populum exercenda. Licet omni homini sit ingenita quedam pietas, aequitas, honestas, prudentia seu intelligentia; prout tamen unusquisque rebus assuefuit, diversas contrahit affectiones & mores. Unde si quis illas virtutes non exerceat, id non ex naturalis facultatis defēctu, sed ex propriæ voluntatis culpa provenit. In harum virtutum praxi diversi diversam iniere viam.

---

**Memc. Lib. I. Cap. IV. pag. 270.**

**H**æc tria ad militiam maxime conducunt: temporis electio, loci emolumen-  
tum, hominum concordia; sic tamen ut hæc concordia longè prævaleat aliis  
duobus. Princeps qui prior non invisit, sed ad se accit sapientie Magistrum, peccat con-  
tra urbanitatem. Sapientie Magistrum modò decet, modò dedecet accipere a Principi-  
bus munera. Præfectus qui non potest bene fungi suo officio, debet illud abdicare.  
Parentes honorificè sunt sepeliendi. Feudatarii Reguli sine Imperatoris facultate non  
possunt de suis Regnis disponere, aut illa in alium transferre; nec bella inferre.  
Agere quod recta ratio agendum dicit, quamvis postea res male succedat, non est  
contra prudentiam & pietatem, ut videre est in Principe Cheu Kum mitiente fra-  
trem suum ad invigilandum alterius Regno. Memcius cùm nihil suis consiliis, mo-  
ritis, documentis penes Regulum Siuen Varn proficeret, tandem penè invitus, &  
quadam quasi necessitate avulsi ex ejus Regno Cy discedit; ac in patriam reddit.

Memc.

## *Index & Synopsis Librorum.*

### **Memc. Lib. I. Cap. V. pag. 286.**

**N**emo est, qui non possit virtutem exercere, & Sapientes imitari; in omnibus enim eadem est natura à Cælo insusæ bonitas. Triennalis luctus ob Parentum mortem, filiis omnibus communis. Hunc Memcius persuadet Principi Ven Kum, qui felicissimo successu juxta antiquos Ritus eum servat. Eadem deinde tradit boni regiminis præcepta sic: Princeps cureret ut populus semper habeat, unde commodè vivat; pro tributo unam tantum decimam aut undecimam frugum partem exigat; erigat frequentes scholas ad populi instructionem. Deinde tradit quadrangularē agrorum divisionem, ut nec Agricola, nec Regius Ministris detur furandi locus; & quanta ex hac divisione profuant emolumenta, ostendit. Quidam Sectarii, qui ad veram bene regendi artem volebant, ut Rex & quæ ac populus ex proprio manuum suarum labore viveret, egregie refutantur à Memcio. In Regno diversis diversa officia & opificia sint, oportet. Unus non potest omnibus & singulis officiis vacare. Hinc Imperator Yao suis Proceribus diversa diversis distribuit munia; & id dicitur universalis pietas, qua Princeps & omnes sublevat, & omnes instruit. Memcius reprehendit aliquem, qui à Magistro suo acceptam Confucii doctrinam deseruerat ad sequendos Sectarios & hos Sectarios, qui volebant unum semper & idem premium omnibus rebus sive majoribus aut minoribus, sive melioribus aut pejoribus imponendum, acriter confutat. Ibidem refutatio alterius Sectæ, quæ volebat omnes homines sine ullo Parentum & exteriorum discrimine, equaliter esse diligendos; cum tamen ipse mos honorifice seperiendi Parentes, ex singulariori & majori filiorum erga illos amore à natura indito emanarit.

---

### **Memc. Lib. I. Cap. VI. pag. 308.**

**S**apientia Magister sine prævia invitatione, peccando contra honestatis leges, non debet indecenter adire Principes; ut suam eis de arte bene vivendi & regendi doctrinam tradat; quisvis enim homo, vel ipse auriga erubescit aliquid agere contra sue artis regularis. Nec sit instar puellæ nubentis, cui commendatur, ut obsequiosè se accommodet alterius voluntati; ubique enim & semper cordis rectitudinem, morum honestatem, operum æquitatem immotus servet, necesse est. Quærit quidem dignitatem, ut suam doctrinam propaget; sed rectâ æquitatis viâ. Insuper dignitate licet careat, meretur tamen propter Magisterii beneficium laute à Principibus tractari.

Princeps,

## *Index & Synopsis Librorum.*

Princeps, qui vult in Imperio dominari, pietate & benignitate, uti olim Principes Chim Tam & Vu Yam, non cedibus & crudelitate sibi subdat populos, oportet. Propterè non unum tantum, sed multos sapientes Ministros penes se habeat. Dum Principes signa honoris & benevolentiae exhibent sapientie Magistro, illos debet invadere. Inveterata sceleris consuetudo subito abrumpenda, non lente diminuenda. A principio Sinensis Imperii semper videre fuit alternantes boni & mali regiminis vicissitudines sibi invicem succedentes, uti ex Imperatorum historia patet; & mali regiminis tempore semper exurrexisse virum sapientem, v.gr. Confucium, &c., qui labanti Imperio succurreret. Memcius autem temporibus, cum gravarentur Secta Yam Chu, qui sibi uni, non publicæ utilitati volebat vacandum, adeoque Reges respuebat; & Secta Me Tie, qui nullâ habitâ consanguinitatis ratione omnes homines aequaliter amandos docebat, adeoque Parentes non agnoscebat; idcirco Memcius ait se non disputandi pruritu, sed necessitate compulsum ad prava illorum dogmata rebellenda. Deinde arguit exoticam alicujus laudati viri temperamentiam.

---

## **Memc. Lib. II. Cap. I. pag. 327.**

Princeps ut bene regat, antiquorum Principum legibus, quemadmodum artifex norma, & Musicae Praeses notis musicis, utatur, oportet. Illi enim antiqui Principes ad tradendam vasorum, instrumentorum, mensurarum, pondrum formam, omnem ecalorum vim; ad instituendam Musica concordiam, omnem aurum vim; ad sanciendas rectae discipline leges, omnem cordis vim exeruerunt. In Principe sapientia & aequitas; in Ministris promptitudo & fidelitas requiritur. Aequitate & pietate Regna conservantur; iniuriae & crudelitate perdantur. Boni regiminis fundamentum, est morum compositio in Principe: tunc enim omnes cupiunt illi subesse; contraria Principibus, qui moribus incompositis & rigore regnant, fugiunt, uti bestia à feris praedatricibus. Et licet velint interdum videri pii & recti; ficta tamen virtus. Ut hominem noscas, inspicienda oculi pupilla. Datur ratio, cur pater filium non per se, sed per alium eruditat. Nulla major observantia, quam Parentum; & nulla major custodia, quam sui ipsius; haec illâ prior; & illa est boni regiminis basis. Multi Principes in graves culpas incidunt, quia Ministros sibi male eligunt. Deinde rursus de filiali observantia.

**Memc. Lib. II. Cap. II. pag. 344.**

**S**apientes priorum & posteriorum seculorum Principes unam & eamdem tenuerunt vite & regiminis normam. Princeps universalem beneficentiam exercere, & suorum Ministrorum sequi consilia debet. Nonnullae prudentiae regulæ. Homo à brutis discrepat per rationis usum, quam diligenter secuti sunt complures prisci Principes; & illi ibi recensentur. Confucius ob collapsum regiminis vigorem composuit librum Ver & Autumnum. Leges temperantiae, liberalitatis, fortitudinis. Magistri, interest eligere probos discipulos. Prudentis est, res dirigere juxta naturalem earum cursum; Sapientis, servare præscriptos Ritus. Dum quis ab alio offenditur, seipsum examinet, & ad ulteriorem perfectionem sese exstimumlet. Licet Sapientum gesta sint valde inter se diversa, idem tamen omnium animus & vita æquitas. Filialis observantia transgressor, quis dicendus? Cuinam sint similes illi, qui abjectè ambiunt & querunt dignitates?

---

**Memc. Lib. II. Cap. III. pag. 361.**

**C**onstans Principis Xun erga patrem & matrem male viventes amor ac zelus pro eoram emendatione. Totius Imperii possessio & gloria non poterat ipsum recreare, quamdiu videbat illos in vitiorum cæno jacere. Cur illis non præmonitus matrimonium inicirit? Deinde multas licet passus fuisset insidias à fratre suo janiore Siam, eum tamen singulariter sibi charum habuit, beneficiisque & honoribus cumulavit. Princeps Xun, vivente Imperatore Yao, dignitatem Imperatoris non possedit, sed vicariam tantum totius Imperii administrationem habuit. Imperatoris Xun erga patrem singularis & utilis honor. Non Imperatores Yao & Xun, suis sapientibus Ministris; ne Imperator Yu, suo sapienti filio; sed ipsum Cælum huic, & illis donavit ac transmisit Imperium. Dum aliquid fit, cuius causa non appareat, istius rei author est Cælum. Cælum non facile Principes filios deturbat à paterna Imperii hereditate, sed tantum eos, qui propter sua scelera sunt ea indigni. Sapiens, ut querat dignitatem, non se abjicit ad indigna & vilia officia; ac proinde fabulae sunt ea, quæ de Regio Ministro Y Yn, de Confucio, & de alio Regio Ministro Pe li hi narrantur.

## *Index & Synopsis Librorum.*

### **Memc. Lib. II. Cap. IV. pag. 381.**

**F**isi Principis Pe Y, Regii Ministri YYn, Praefecti Lieu hia hoc, & Consulii gesta, vita ac sententiae multum inter se dissimilia extiterint; illorum tamen exemplis omnes Posteri ad virtutem coninoventur. Primus fuit integratus, secundus magnanimitatis, tertius affabilitatis, quartus prudentiae absolutum exemplar. Similitudo Confucii intelligentiae & aequitatis cum musico concentu, & jaculatore. Quenam erant olim in Imperio & in Regnis seu Principatibus dignitates? Quinam eorum reditus? Nonnullae amicitiae leges. Mutua inter amicos munera non rejicienda. Publicorum quidem grassatorum munera non possunt accipi; Principum tamen, qui injustè non pauca à populo rapiunt, possunt. Magistratus modò capessendi, modò abdicandi tempus. Si quis Magistratum ineat propter sublivandam suam paupertatem, subsistat in humiliiori gradu; sublimem non ambiat. Vir litteratus, nulla adhuc dignitate nobilis, non statim stipendium, sed honoraria tantum munera potest à Principibus accipere. Vir sapiens, qui officio caret, accitus à Regulo, non tenetur illum adire, urpote Magister; non decet enim sapientiae Magistrum sic acciri; imò quidam septi regis custodes, à Confucio laudati; quia, tesserà non suā, licet nobilio-ri, acciti, Regulum adire neglexerunt. Primi Regii Ministri, tam qui est, quam qui non est Regis consanguineus, debitum munus.

---

### **Memc. Lib. II. Cap. V. pag. 398.**

**H**ominis natura est ex se recta ac bona; ideoque illi intrinseca pietas & aequitas tamquam proprietates. Quemadmodum gravitas est aquæ propria ad currendum deorsum; ita rectitudo est hominis naturæ propria ad sequendam virtutem; licet interdum, dum ponitur obex, nec aqua currat deorsum, nec hominis natura virtutem sequatur. Hominis natura non consistit in vita, quæ & brutis & homini-bus est communis, sed in ratione. Ratio autem est pietatis & aequitatis radix, id est, utraque natura humana intrinseca. Senioris v. gr. reverentia, quæ est aequitatis species, non consistit in adultiori alterius etate habente jus, ut colatur; quod jus est extrinsecum; sed in cognitione illius juris seu illius etatis adultioris, in cordis affectu, & in ipso reverentiae actu; que omnia sunt reverenti intrinseca. Variæ circa hominis naturam sententiae afferuntur. Memcius ex innato naturæ humanae appetitu, qui unam honestatem spectat, probat illam esse rectam ac bonam. Hic innatus appetitus

seu

## *Index Et Synopsis Librorum.*

affectus est quadruplex, scilicet commiserationis, pudoris, reverentie, scientiae; sive est quædam pietas, equitas, honestas, prudentia inchoata & ingenita, adeoque ipsi naturæ intrinseca. Una & eadem in omnibus hominibus naturæ unde quod aliqui male vivant, interea dum alii bene agunt, id non ex natura, sed ex eorum pravitate oritur. Quemadmodum enim innata humanorum membrorum, v. gr. oris, oculi, auris propensio erga suum objectum, in omnibus hominibus est eadem; ita & cordis seu animi nostri propensio atque appetitus erga honestatem & equitatem est eadem. Sed saepè prava cupiditas devastat hunc innatum appetitum, sicut pabulantes boves devstant ac proculcant resecti nemoris repullulantes surculos. Ista innata cordis rectitudo, post diurnos pravae cupiditatis tumultus, vespere & manè solet repullulare; sed si interdiu semper pessundetur, tandem suffocatur ac perit. Nihil tamen illâ preciosius; imò pluris aestimanda quam vita. Sed perditi homines non illam curant; nec nobiliorem suæ substantiæ partem, scilicet cor ac mentem, nörunt aere; magis de ventre solliciti, parte longè ignobiliori. Et ratio est, quia per mentis cognitionem non firmant ac roborant cor suum adversùs pravos rerum mundanarum incursum; quin imò suis vitiis frivolas causas pretendunt.

---

## Memc. Lib. II. Cap. VI. pag. 416.

Ordù honestas pluris facienda quam esca & voluptas. Nemo est, qui non possit antiquos viros illustres imitari, agenda, quod illi agerunt; fugiendo, quod illi fugerunt. Pro majori vel minori Parentum culpa debet esse major vel minor filiorum querela. Dispar causa promuneribus gratias coram agendi, vel non coram a gendi. Viri sapientes in Regnis utiles, nec facile cognoscî possunt. Optima impe randi ratio fuit ea, quam tenuerunt primi trium Imperialium Familiarum Condito res; post hanc venit altera, quam secuti sunt quinque illustres Archontes; sed recentes Reguli nec banc, nec illam servant; imò & recentes Praefecti adhuc pejus, quam sui Reguli, agunt. Vide ibi ista singillatim exposita; ac præsertim egregia regimini præcepta ab uno Archonte tradita. Prisci legum Conditores adscripserunt Imperatori ac Regulis certos terræ limites, quos transfilire non licebat; adeoque nullus Regulus suum regnum augere poterat. Modus exigendi tributum majus vel minus, di versus juxta diversas regiones. Vir Recli amator, qui labens monita & consilia audit, est optimus Regni Minister; & contrà. Tres cause, qua olim Sapientem ad Magistratum vel suscipiendum vel abdicandum, impellebant. Multi Sapientes ex infima vita conditione ad summum dignitatis gradum cœdi.

Memc.Lib. II. Cap. VII. pag. 435.

**Q**ui cognoscit rerum naturas, potest Cælum cognoscere, & tunc Cælo inservire. Vir sapiens in omni re Cæli providentiam expectat, illique acquiescit. Cole-re virtutem, homini facile est; neverit tantum erubescere. Sapiens, non debet suam sapientiam vilipendere ad captandam Principum gratiam; priratus sibi vacat; in dignitate positus, sibi & aliis; semper sui similis. Sapientis Principis exempla fortius trahunt, quam decreta. Pietas & æquitas homini ingenita. Regiorum Ministrorum quatuor genera. Tria sunt quibus Sapiens delectatur. Sapiens naturæ sue beatitudinem in virtutis exercitatione collocat. Ad Principem pium ac benignum omnes ultrò confluunt; hic agros ad arandum, & spatiū ad habitandum rite populo parit; arbores severe, animalia alere, temperantiam servare, virtutem colere sollicitè eum edocet. Virtutis Iau & origo. Prudentiae vicia, ac munus. Sapiens nec honore aut contemptu, nec opibus aut paupertate movetur. Finis ac ultima per-fectio coronat virtutem. Sapiens propter morum exemplum, & doctrinæ beneficium dignus est, qui à Rege accipiat stipendum. Casus perplexus. Conditionis nobili-tas & educatio solet diversum ab aliis agendi modum homini indere. Triennalis ob Parentum mortem luctus imminui aut contrahi non debet. Quintuplex modus, quo Sapiens alios docet. Magister ostendit, non indit virtutem. Virtutes, que Princi-pus decent.

---

Memc.Lib. II. Cap. VIII. pag. 455.

**P**rinceps, qui armis & cædibus suum Regnum ardet extendere & augere, inver-tit amoris ordinem: amoris enim ordo est, primo loco Parentes & consanguineos amare; secundo, populos; tertio, pecudes ac plantas. Ille contrà. Princeps sapiens non eget armis, ut vincat; sola pietate & æquitate omnes ad se allicit, uti Principes Chim Tam & Vu Vam. Imperator Xun, mirus rerum mundanarum con-temptor. Hypocritæ facile cognosci possunt. Tria sunt, que in Regnis magni fiunt: Princeps, populus, & locus in quo regionis Spiritui cultus exhibetur. Viri sapien-tes & in vita & post mortem alios ad virtutem accendunt, licet obrectionibus sint sœpè obnoxii. Si raro teratur rectæ rationis via, brevi sentibus oppletur, ac perit. Sapiens nihil se indignum debet agere. In quo & hominis natura, & Cæli lex consi-stat? Vir probus, verus, eximius, magnus, sapiens, spiritualis, quis? Sectarii dum volunt suos errores deferere, benigne excipiendi. Triplex anni tempus pro exi-gendo

## *Index & Synopsis Librorum.*

gendo tributo. Tria à Principe plurimi estimanda; scilicet Regnum, populus, regimen. Sapientis commiseratio & pudor debet ad omnia se extendere. Diversi sapientum ordines. Sapiens dum Principes alloquitur, non debet esse timidus. Confucius exhortabat Discipulos, qui magnos spiritu gercent, aut essent propositi tenaces; abhorrebat autem illos simulatores, qui ob fictam virtutis speciem & externam honestatem à suis concubibus laudantur & extolluntur, ceu viri solertissimi ac exultissimi. Ferè post singulos 500. annos solet exurgere Magister, qui sapientie doctrinam bene calleat, tradat, propaget.



## LIBER V.

### Filialis Observantia.

**Q**uae Confucius de hac filiali Observantia breviter tradit suo Discipulo Tsem Tsu, *hac sunt:*

In primo capitulo (pag. 474.) totius argumenti explanatio; hoc est, filialis observantia sum initium à Parentum obsequio, medium à Regis servitio, finem à morum perfectione accipit.

In 2. 3. 4. 5. 6. cap. (ibidem) quenam filialis Observantia deceat Imperatorem, Regulum, primarium Praefectum, litterarum Alumnum, virum plebeium.

In 7. cap. (pag. 476.) tres causæ, seu principia, scilicet cali motus, terræ utilitates, homini actiones, circa quæ versatur filialis observantia.

In 8. cap. (pag. 477.) filialis observantiae regimen; id est, prisci Imperatores, Reguli, primarii Praefecti suo benigno regimine omnes suos subditos prouiciebant ad adjuvandum suorum Parentum cultum.

In 9. cap. (pag. 478.) virtutis regimen; id est, inter virtutes moyales excellit filialis observantia, qua filius Parentem, ut suæ vite authorem, consert cum cœli Dominio rerum omnium Authore. Filialis observantia est fons & radix totius boni regiminis.

In 10. cap. (pag. 479.) filialis observantiae expositio, sive singula ejus officia.

In 11. cap. (pag. 480.) quinque pœnaru[m] genera, quibus subjacent quavis delicia; & inter delicia nullum majus filiali inobedientiam.

## *Index & Synopsis Librorum.*

In 12. cap. (*ibidem*) potissima disciplinæ explanatio, que in hoc consistit: Rex amet Parentes, reveratur fratres seniores, curet Musicam ac Ritus.

In 13. cap. (*pag. 481.*) summa virtutis explanatio; sive dum Princeps sua filiali observantiâ, & fraternâ reverentiâ omnes Imperii populos ad eamdem & observantiam & reverentiam allicit, tunc summa virtus.

In 14. cap. (*ibidem*) magni nominu fama ex filiali observantia emanans.

In 15. cap. (*ibidem*) Admonitio, qua debet uti filius erga Parentem peccantem, uti & Minister Regius erga Regem; & alii erga alios.

In 16. cap. (*pag. 482.*) filiali observantia respondens effectus in Spirituum favore, & in Imperii tranquillitate.

In 17. cap. (*pag. 483.*) Regis ministerium, sive mutua Regem inter & Ministrum benevolentia.

In 18. cap. (*ibidem*) Parentum exequie, & modus quo debet filius illis parentare.



## LIBER VI.

### Parvulorum Schola

#### <sup>S E U</sup> Doctrina.

##### CAPITULUM I.

###### Pars intrinseca seu essentialis.

Paragraphus unicus.

Rectæ disciplinæ Institutio. pag. 488.

**C**æli lex est via, & antiqui Sapientes sunt norma, quam sequi debent & Magistri & Discipuli. Unde prægnans mulier quid vitare; & cuinam nutrici filium committere tenetur? filii & filie quomodo educandi? modus scholas erigendi & docendi. Quæ, & quomodo tradenda doctrina?

CA-

# *Index & Synopsis Librorum.*

## CAPITULUM II.

### Quintuplex humanæ conditionis ordo.

§. 1. Primus ordo: Debitus inter patrem & filium amor. pag. 493.

**F**ilii & nurū officium manē & vespere, uti & famulorum ac famularum. Modus inserviendi Parentibus debita cum reverentia. Filii & nurū de nulla re possunt disponere. Modus quo filii debent peccantes Parentes commonere, ac illis defunctis parentare. Quintuplex filialis observantia species. Ejus perfectiones ac vitijs.

§. 2. Secundus ordo: Debita Regem inter & Ministrum æquitas.

pag. 503.

**Q**uid ante affatum, in affatu, post affatum Regis præstare debet regius Minister? quid in mensa, aut in accipiendo ejus dono? Munus Regis & Ministri.

§. 3. Tertius ordo: Debita inter maritum & uxorem diversitas.

pag. 506.

**I**uges matrimonii ineundi; & Ritus, dum initur. Domestice regulæ. Debita agendi diversitas in viro & foemina ad honestatem servandam. Quænam mulier in uxorem adscisci non debet? Quænam ejicienda?

§. 4. Quartus ordo: Debita Juniorem inter & Seniorem subordinatio. pag. 510.

**V**ariae urbanitatis leges, quas junior erga Seniorem, & Discipulus erga Magistrum servare debent in gressu, occursu, mensa, colloquio, &c.

§. 5. Quintus ordo: Debita inter amicum & amicum sinceritas.

pag. 512.

**V**ariae amicitiae leges. Quinam amici prosunt? Quinam obsunt? Urbanitatis Ritus in excipiendo hospite.

§. 6. Quintuplex humanæ conditionis ordo generatim rursus expressus. pag. 514.

**N**onnulla patru & filii, Regis & Ministri, mariti & uxoris, fratrij junioris & senioris officia. Admonitio filii erga patrem, & Ministri erga Regem, quænam conveniat?

CA-

# *Index & Synopsis Librorum.*

## CAPITULUM III.

### Sui Studium.

§. 1. *Cordis Regulæ.* pag. 517.

**R**esta ratiō debet regere pravam cupiditatem: nil turpe videndum, audiendum, cogitandum, agendum. *Novem Sapientis cogitationes*, &c.

§. 2. *Morum seu externæ compositionis Regulæ.* pag. 519.

**H**onestas & aquitas ex corporis compositione emanat. Immodestia & rusticitas culpe. Urbanitas in domus ingressu, consortio, via, incessu, verbis, jaculandi exercitio, &c. Et quæ vitia in iū committi possint?

§. 3. *Vestitus Regulæ.* pag. 522.

**R**itu primi pilei imponendi Adolescentis capiti. *Quem modum in suo vestitu servabat Confucius?*

§. 4. *Victus Regulæ.* pag. 523.

**V**aria rusticitates, quæ vitari debent in mensa. *Quem modum in suo victu servabat Confucius? Fugienda compotationes & commessationes.*

## CAPITULUM IV.

### Antiquitatis Indagatio.

§. 1. *Priscorum exempla de rectæ disciplinæ Institutione.* pag. 525

**M**ira matris in suo filio Memcio educando cautela ac sedulitas. *Modus quo Confucius suum filium Ly instruebat.*

§. 2. *Priscorum exempla de quintuplici humanæ conditionis ordine.* pag. 527.

**C**onsans Principis Xun observantia erga perversos suos Parentes. Item Principis Ven Vam erga patrem suum Ki; Principum Vu Vam & Cheu Kum erga patrem suum Ven Vam; Doctoris Tsem Sen erga patrem suum Tsem Sie; pueri Pe Yu erga matrem suam, &c. Diligentia Discipuli Kum mim siuen in imitanda Magistri vita. Nonnullorum filiorum singularis cura in exequiis & Parentum defunctorum cultu. Administri Yu Jam, & bellici ducis Vam sun kia ardor ad ulciscendam injustam Dominorum suorum mortem. Conjugalis morum honestas;

Ipon-

## *Index & Synopsis Librorum.*

*sponsæ & uxoris generosa fides erga sponsum & maritum, fratrum amor, Regis aequitas, Amicorum reverentia variis exemplis comprobatur.*

### *§. 3. Prischorum exempla de morum ac vitæ compositione.*

*pag. 538.*

*P*rinzipis Pe Y integritas, Prefecti Tan Tay cautela, Discipolorum Nan Yum consideratio, Tsu Lu diligentia, Yen Hœi patientia; in uxore Prefecti Ven Pe otium fuga.

### *§. 4. Prischorum exempla de honestate & modestia. pag. 541.*

*E*gregia Prefecti Xe Cio de honestate & gravitate documenta. Item Prefecti Kam de Rituum honestate monita.

---

## *Doctrinæ Parvulorum*

### *CAPITULUM V.*

#### *Pars extrinseca seu accidentalis.*

##### *De præclaris Recentiorum Dictis.*

### *§. 1. Præclara Recentiorum Dicta ad fusius explicandam rectar disciplinæ Institutionem. pag. 544.*

*V*aria Doctorum, pro puerorum educatione; Magistrorum, pro Discipolorum instructione; Parentum, pro filiorum vigilantia, virtute, progressu; Magistratus, pro populi sui moribus documenta referuntur.

### *§. 2. Præclara Recentiorum Dicta ad fusius explicandum quintuplicem humanæ conditionis ordinem. pag. 552.*

*F*iliorum & famulorum munus. Imponendi primi pilei Ritus non negligendus. Ritus exequiales & parentales diligenter curandi. Triennalis iudicis tempore ob mortem Parenium, temperantia victimæ & aliae abstinentiae servanda. In exequiis

# *Index & Synopsis Librorum.*

& in aliis rebus fugiendo pravarum seu idololatricarum Sectarum praxes & artes. Monita pro Magistris. Cauela in matrimonio contrabundus. Domestica discipline præcepta. Amor fratrum. Amicitie leges.

## §. 3. Præclara Recentiorum Dicta ad fusiū explicandum sui Studium. pag. 565

**P**restantia variorum Authorum effata de sui custodia. Monita provisu, auditu, sermone, opere. Sedulū sibi vacandum; & magis sibi, quam alius carpens invigilandum. Monita q̄ orationem Doctorum in suis Museis exarata ad se ipsos excitandos. Stimuli torpenibus inditi ad priscos Sapientes imitandos. Libri quomodo legendi & conservandi. In librorum lectione virtus fructus & praxis querenda. Pravarum Sectarum damna.

---

## CAPITULUM VI.

### De præclaris Recentiorum Gestis.

#### §. 1. Præclara Recentiorum Gesta ad comprobandum rectæ disciplinæ Institutionem. pag. 575.

**R**igida Præfeti Liu Yum, & ejus uxoris Cham in pueritia educatio. Probum exemplum Magistri Hu Yuen coram suis Discipulis. Scholarum normam Doctor Chim proponit. Fœdus inter condiscipulos.

#### §. 2. Præclara Recentiorum Gesta ad comprobandum quintuplicem humanæ conditionis ordinem. pag. 579.

**S**ingularis in filio Kiam Ke alendi matrem cura. Juvenis Sie Pao in patrem & fratres amor. Mira reverentia & sollicitudo privigni erga novercam agram. Luctus perpetuus filii Vam Meu ob violentam patris necem. Aliorum filiorum luctus in Parentum morte. Filii amor amissam matrem requirenus. Immota animi relictudo in aulico Præfecto Yam Ngan. Mendacium Præfeti morte multatum, & alterius sinceritas periculo liberata ac pensata. Moderatio in Magistris necessaria.

## *Index Et Synopsis Librorum.*

ria. Nurus Chm constantia in alenda sua socru. Uxor votis mariti obsequens. Alterius uxoris mira erga defunctum maritum fides, nolentis ad secundas nuprias transire. Sororis virgines potius mortem, quam stuprum eligentes. Amor & honor erga fratres. Frater fratri pestie laboranti constantem inservit. Honestus domesticorum facul atum usus. Constanter plurimorum consanguineorum cohabitatio, & vietus convivianis.

### *§. 3. Praeclara Recentiorum Gesta ad comprobandum sui ipsius Studium. pag. 600.*

**M**oderatio, gravitas, modestia, relictudo, urbanitas & aliae virtutes nonnullorum virorum recensentur. Singularis temperantia in vixu & vestitu mundanarum rerum & gerrulitatis fuga variis exemplis illustratur.





# Notes du mont Royal

[WWW.NOTESDUMONTROYAL.COM](http://WWW.NOTESDUMONTROYAL.COM)



Une ou plusieurs pages ont été volontairement omises ici.

SINENSIS IMPERII  
LIBER TERTIUS CLASSICUS  
*Dicitus*  
LIBER SENTENTIARUM,  
*Sinicè*  
L U N Y U.

LECTORI.

 Ic Liber divisus in 20. parvos Articulos, præter Articulum decimum, in quo Discipuli singillatim referunt sui Magistri Confucii externum agendi modum, solummodo complectitur diversas interrogations , respon- siones, ac sententias tum à Confucio, tum ab ejus Discipulis non uno tempore prolatas circa virtutes , bonos mores , & regiminis artem , atque in unum codicem redactas. Stylum sententiosum Sinicum in phrasi latina quantum potui , retinui ; ac subinde ad majorem legentis voluptatem parva scholia de Sinarum historia , de Ritibus eorum antiquis , de eorum Musica adjuuxi. Doctor *Chu hi* Interpres Sinicus huic *Sententiarum Libro* sequens præponit Proœmium.

# LIBRI SENTENTIARUM.

## PROOEMIUM.

**L**iber dictus Su ki xikia, id est, liber qui nobiles prætorum sæculorum Familias, earumque res gestas recenset, sic ait agendo de Confucio: Confucius nomine Kieu, cognomento Chum ny, Majores habuit ex nobilissima Regulorum Regni Sum stirpe oriundos; ejus Patri nomen fuit Xoleam he; Mater ex illustri Familia Yen orta erat. Hi duo Conjuges anno Regni Lu Reguli Siam kum 22., dicto Kem sio, 11. mense lunari dicto Kem tsu, genuerunt Confucium in pago Cham pim, urbecule Tseu subjacente, (qua urbecula sita est in Regno Lu, seu in Provincia Xan tum.) Dum adhuc puer agebat, nenuis et scenicis jocis delectabatur; sepè gaudebat ritè dispositam ferulorum parentalium seriem ludicro quidem, sed grato spectaculo adumbrare; alias, varios urbanitatis et Rituum modos personatus graviter exhibebat. Adultus frumentarium Reguli questorem in Patria Lu egit; dein regio septo, in quo boves, oves, aliaque animalia ad variorum rituum solemnitates necessaria alebantur, præfuit. Postea ad Imperialem Imperii Cheu Aulam, ubi à Senioribus Rituum leges frequenti interrogatione didicit, se transtulit. Hinc in Patriam redux, plures semper Discipulos quotidie babere cœpit. Sed cum Regulus Chao kum

kum Regni sui Lu anno 25. dicto Kja xin, etatis Confucii 35. ob civiles tumultus profugere coactus fuisset in Regnum Cy, tunc Confucius bos Patriæ sua Lu tumultus conspicatus, se etiam transtulit in idem Regnum Cy; ubi eum primarius quidam Regni Praefectus nomine Chao, cognomine Kao, totius domus sua Administrum constituit, cuius ope & authoritate accessum babuit ad Principem Kim kum istius Regni Cy Regulum. Hic Princeps volebat Confucium ditione agri Ny hi donare: sed primarius Regni Minister Yen ym se se illi opposuit, & ob levem nefio cuius suspicionis umbram non donavit; quo circa Confucius binc discedens in Patriam Lu rediit. Dein anno primo Reguli Tim kum dicto Gin xin, etatis Confucii 43. cum primus bujus Regni Lu Minister Ki penè regiam sibi Reguli potestatem ac dignitatem nimia sua authoritate vindicaret, tunc illius Subpraefectus cognomine Yam, nomine Hu, in suum Dominum arma movit, atque omnia susquedequ evertens, publicum sibi regimen assumpsit.

Quapropter Confucius à Magistratu gerendo abstinuit, cœpitque privatim emendare & concinnare libros. Xi kim sive Carminum, Xu kim sive Annalium Imperialium, Li ki sive Rituum, atque Musica artem. Unde Discipulorum ejus multitudo cœpit esse longè numerosior. Nono autem anno ejusdem Reguli Tim kum, dicto Kem tsu, etatis Confucii 51., aliis quidam primarii Ministri Ki Subpraefectus cognomine Kum xan, nomine Pu nieu, ab

Hero suo cum ipso oppido Pi, cui preerat, defecit; Confuci-  
umque, ut ad se venire vellet, rogavit. Cum eum adire  
statuisset Confucius, mutata tandem sententia, non adiit.  
Postea Regulus Tim kum iussit Confucium suæ regiae urbis  
Gubernatorem; quo in munere intra unum annum, publi-  
cum regimen ac bonos mores per omnes Regni partes mi-  
rabiliter instauravit. Deinde summum publicorum ope-  
rum Praefectum, denique supremum justitie Praesidem e-  
git. Post bac decimo anno Regni Tim kum, dicto Sin-  
cheu, dum agebat primum ejus Ministrum, eum comita-  
tus est ad agrum Kia ko, in quo Regulus Tim kum, Regni  
Cy Regulum convenit, atque cum eo pacis & amicitiae le-  
ges, Confucii consiliis & opera sancivit; unde Regni Cy  
Regulus loca, quæ bello occuparat, restituit Regni Lu Re-  
gulo Tim kum.

Anno Regni Tim kum 12. dicto Queimao, Con-  
ficius misit Discipulum suum Chum yeu, ut in aliqua primi  
Ministri Ki ditione Praefectum ageret. Tunc temporis  
tres erant in Regno Lu nobiles Familiae Ki lun, Mem sun,  
Xo sun, quarum Praefecti sepius arma in suos Dominos ca-  
passebant, freti urbium muris, quibus praerant. Con-  
ficius ergo sua fit, ut illarum mœnia everterentur, tum ad  
prepadiendos horum Praefectorum tumultus, tum ad dimi-  
nuendam nimiam illarum Familiarum autoritatem ac  
potestatem. Itaque iussum est istos trium metropoleon  
muros everti. Jam Chum yeu Dux exercitus, militare  
illa-

illarum præsidium receperat; cùm dynasta Mem sun, natalis soli amore tactus, noluit suam metropolim Chim everti; quin & novas præsidariæ copias illuc immisit. Nibilominus Dux Chum yeu cœpit eam suis turmis aggredi, obſidione cingere, acriter oppugnare; sed non potuit expugnare. Anno Regni Tim kum 14., Confucius etatis ſuæ 56. in patria Aula ſupremi à consiliis Miniftri vices gerens, publicæ quietis perturbatorem cognomine Xao, nomine Chim mao, extremo ſupplicio affecit; vixque bene tres menses in bac ſuprema dignitate compleverat, cùm totum Regnum novum ubique vigorem & regiminis faciem induit. Hinc vicini Regni Cy Regulus, veritus, nè tantum incrementum ſibi noceret, formofas pueras ſaltandi & canendi peritas dolosè dono misit Regulo Tim kum, ut cor ejus amoribus irretitum evocaret ab incepto praefari regiminis ſtudio. Primarius Minister Ki Von, Conſucio renitente, persuafit Regulo, ut eas recipere; atque ita publicum regimen & impeditum & neglectum eft. Deinde cùm poft litamen Celo à Regulo oblatum, non fuiffent diſtributa litaminis dapes primariis Regni Praefectis, uti ritus praefcribebant; bac negligentia denuò offensus Confucius, tandem ab Aula recessit, & in regnum Guei perrexit, bopitiōque exceptus eft apud fratrem uxoris Discipuli ſui Tsulu, nomine dictum Cho tſeu, cognomine Yen. Deinde cùmiturus in regnum Chin pertransiret terram Quam, bujus terra incola rati eſſe famosum popu-

liperturbatorem Yam hu, cum capere tentarunt; sed hoc periculo ereptus, rediit in regnum Guci, mansitque in domo cuiusdam Prefecti cognomine Kiu, nomine Pe yo; quo tempore, ut istius regni Guei consuetudini se conformaret, Nan tsu reguli uxorem invisit: Postea abiit in regnum Sum; sed cum ibi quidam regni primarius Prefectus cognomine Su ma, nomine Von tui, mortem illi inferre meditaretur, mox inde profugiens rediit in regnum Chin, mansitque ibi tribus annis in domo cuiusdam primaris Prefecti cognomine Su Chim, nomine Chim; ac tandem reversus est in regnum Guei; sed hujus regni regulus Lim kum nullo in re usus est Confucii opera. Tunc primaris in regno Cin Ministri cognomine Chao quidam Subprefectus, dictus Pie hie, à Domino suo cum ipsa urbe Chum meu, cui praeerat, defecit; misitque, qui ad se invitarent Confucium. Et verà penè eum adire volebat Confucius, sed Discipuli sui Tsulu consilio non adiit. Deinde cum in occidentaliorem regni Cin (id est provincia Xan si) partem proficiisci statuisset, invisurus aliam primarium Ministrum cognomine Chao, nomine Kien; appulsus ad fluvium Croceum, re melius intellecta, etiam retrocessit; reduxque in regnum Guei, rursum hospitatus est in pristina Kiu pe yo domo. Tunc temporis regulus Lim kum interrogavit Confucium de arte militandi Es' acie instruenda, cuius questioni nolens facere satis, respondit se militare artem non callere, statimque die sequenti illinc discessit,

Erediit in regnum Chin. Interim moritur primarius regni Lu Minister Ki von, moriensque suo filio Ki kam præcipit, ut post suam mortem Confucium exulantem invitet, ejusque operâ ac consiliis atatur; sed bico Ki kam à suis Sub-præfectis E domus Administris avocatus, patris exequi voluntatem deftit, E ad se Gen kieu Confucii Discipulum accersit. Deinde Confucius volens in regnum Tsay proficisci, appulit in Xe regni Tsou (id est, Provinciae Hu quam) oppidum. Hujus regni Tsou Regulus Chao vam volebat Confucium donare ditione agri Xu xe; sed primarius ejus Minister Tsu si illum avertit. Confucius igitur iterum rediit in regnum Guei. Id temporis regni Guei Regulus Lim kum obierat; ejusque successor Che kum exoptabat apud se retinere Confucium, ut supremam illi rerum administrationem committeret; sed quia Confucii Discipulus Gen kieu, primarii Ministri Ki kam copiarum Praefectus, preclarè se gesserat in bello, quod inter regna Cy E Lu exarserat; idcò bic Minister à sui exercitū Duce Gen kieu permotus, Confucium in Patriam revocavit; atque ita in regnum Lu rediit Confucius anno Reguli Ngai kum 11., dicto Tim su, etatis sue 68.; Ceterum regni Lu Regulus Ngai kum nunquam usus est Confucii operâ; nec ipse Confucius unquam quesit à Regulo manus seu officium. Sed tunc rursum cœpit librum Xu kim seu Annalium Imperialium, E librum Li ki seu Rituum in melioram formam reducere; librum Xi kim seu Carminum ite-

teratò corrigere; meliores Musica leges prescribere; quafdam annotationes bine interpretationi libri Ye kim seu productionum ac mutationum, nempe alteri à Principe Ven vam, que vocatur Tuon, alteri à filio ejus Cheukum, que vocatur Siam, composita addere. Id temporis Confucius Discipuli numerabantur ter mille; inter illos 72. insigniores, qui omnino sex artes tunc disci solitas, scilicet Rituum, Musica, jaculandi, aurigandi, scribendi, numerandi, callebant. Anno Reguli Ngai kum 14., dicto Kem Xin, bieme in occidentali regni Lu parte, venatu captum est unicornium, Et tunc libro suo Chun cieu seu Veri Et Autumno, id est, quibusdam Annalibus sui regni Lu, finem imposuit Confucius. Anno proximè in sequenti dicto Sin Yeu, ejus discipulus Tsu lu in regno Guci pugnando occubuit. Denique anno regni Ngai kum 16., dicto Gin sio, quarti mensis lunaris die dicto Ki cheu, obiit Confucius, annos natus 73; sepultus in septentrionali metropolis regni Lu parte ad ripam fluvii Su. Omnes illius discipuli totos tres annos ei parentarunt, quibus expletis luctum Et vestem funebrem deposuerunt, prater unum Tsu kum, qui ad Magistri tumulum exstructo mapali, ibi rursus tribus annis, adeoque sex annis integris cum luxit. Confucius genuit unicum filium nomine Li, cognomento Pe Yu, qui ante patrem obiit. Hic autem Pe Yu genuit filium nomine Hie, cognomento Tsu su, qui composuit librum Chum yum, id est Immutabile Medium.

**Nota:** hoc nomen *Confucius* latinitate donatum, efformatum esse ex his tribus Sinicis: ex *Kum*, id est, cognomine *Confucii*; ex *Fu*, id est, Magistro vel Doctore; & ex *Tsu*, id est, Domino.

## LIBRI SENTENTIARUM ARTICULUS I.

1.  *Confucii effatum*: qui priscorum Sapientum facta non tantum imitatur, sed etiam cum illis assidue se ad ulteriorem profectum exercet; numquid is gaudio imp'etur?
2.  Deinde cùm è remotis plagis adveniunt socii, ut ejus precepta excipiant; numquid etiam gaudio diffliuit?
3. Si ramen ab hominibus nesciatur, nec ob hoc irascatur; numquid tunc potest verè dici vir sapiens & consummatus?
4. *Ise r̄sa Confucii Discipuli effatum*: Parentum & fratrum natu majorum cultores, qui ament Superiores offendere, vix uspiam reperias; non astantes autem Superiores offendere, qui ament turbas excitare, hos uspiam sane reperies.
5. Vir sapiens, quod in omnibus spectat, est recte vivendi principium; ex hoc posito principio, max omnis vitæ honestas ultrò exurgit. Debita verò erga Parentes & fratres natu maiores observantia, numquid verè est omnis pietatis principium?
6. *Confucii effatum*: Adulatores pios vix, aut nè vix quidem reperias.
7. *Isem r̄sa Confucii Discipuli effatum*: Ego quotidie in tribus rebus me ipsum discitio: 1. utrūm præstando alteri obsequium, me totum impenderim? 2. utrūm frequentando amicos & socios, candorem servaverim? 3. utrūm excipiendo Magistri doctrinam, eam in praxim redegerim?
8. *Confucii effatum*: Recta gubernandi Regnum mille bellicis quadrigis potens, (id est centum stadiis, Sinicè *Lj*, amplius) ratio consistit in his quinque: Rex sit vigilans, sit sincerus, sit parcus, sit populi amans, sit prudens in exigenda agricolarum opera, scilicet tempore, quo ab agricultura vacant, sive hieme.
9. *Confucii effatum*: Liberi & fratres natu minores, domi Parentes, foris Superiores reverenter colant; in factis diligentiam, in verbis veritatem

sedulò sectentur; omnes homines communī benevolentia prōsequantur; probos peculiari studio diligant. His peractis, si quid temporis ac virium supereſt, illud impendant tum in legendis libris Carminum & Imperialium Annalium, tum in addiscendis Rituum, Musicæ, jaculandi, aurigandi, scribendi, numerandi sex artibus.

10. *Tsu bia* Confucii Discipuli effatum: Si quis tanto sapientium virorum sapientiam, quanto rerum pulchrarum pulchritudinem amore prōsequatur; Si in deferenda Parentibus observantia omnes vires intendat; si in præstando Regis obsequio mortem ipsam non reformidet; si in tenenda amicorum societate illibatam verborum veritatem servet; quamvis fortè mihi dicitur hic vir litteris non vacasse; ego tamen eum verum esse litterarum Alumnūm assevero.
11. Confucii effatum: Sapientia Alumnus, si morum gravitatem non amat, mox modestiam carebit, qua destitutus, licet sapientia disciplinis vacet, non tamen diu persistet.
12. Deinde animi candorem & veritatem in primis colat.
13. Quod ad socios attinet, non frequenter nisi eos, aut qui sibi præcellunt, aut qui sibi sunt pares.
14. Denique cum quis sine culpa vivere non possit; sua vitia assiduè corrigeret, non illum cedeat.
15. *Tsem tsu* Confucii Discipuli effatum: Si Princeps debita cum reverentia defunctis Parentibus justa persolvat; si post sepulturam statim temporibus diu memor illis parentet; hic suo exemplo efficiet, ut populi virtus ex parca liberalis, & ex tenui per ampla evadat in colendis etiam defunctis suis Majoribus.
16. *Tsu kin* Confucii Discipulus sic interrogavit Condiscipulum suum *Tsu kum*: Noster Magister Confucius, dum varia illa Regna quondam peragraret, procul dubio illorum regimen didicit; didicit autem, an quia ille ab incolis id sciscitatus est? an quia ipsum Regnum istorum Reguli ei ultrò exposuerunt?
17. *Tsu kum* sic respondit: Noster Magister sua singulari comitate, candore, gravitate, temperantiā, modestiā absque ulla sciscitandi necessitate id ultrò assetus est; iis enim virtutum ornamenti attracti Principes, suam quique illi regendi normam sponte declarabant, ab eo edoceri cupientes. Nostri ergo Magistri sciscitandi modus, numquid sanè ab aliis longè diversus est?

28. Confuciū effatum : Si quem nō sse filium velis ; dum pater vivit , vide quid spectet ; dum obit , vide quid agat . Si autem totos tres annos à patris obitu non dimittat paternam vivendi normam , tum potest dici filius obsequens . Si nempe , addit Interpres , paterna vivendi ratio recta fuerit .
19. *Ten tsu* Confucii Discipuli effatum : In urbanitatum & rituum usu quod maximè spectatur , est naturalis hos & illas servandi modus . Et idèò eorum regulæ à priscis Imperatoribus sanctæ , censentur præclaræ ; quia quidquid dirigunt , sive parvum sive magnum , naturali semper modo illud dirigunt .
20. In hoc tamen est etiam aliquid , quod non licet ; si quis nempe sciens urbanitatum & rituum pulchritudinem sitam esse in naturali agendi modo , continuò totus sui profusus omnia naturali quodam modo agat , neque se ullis honestatis & rituum legibus astringat ; nec id sanè est licitum agere .
21. *Ten tsu* Confucii Discipuli effatum : Dum quis rem æquam promittit , potest postea promisso stare ; dum quis alium juxta debitæ urbanitatis leges reveretur , potest postea erubescendi occasionem vitare ; dum quis in quærenda amicitia aut patrocinio eligit viros probos , potest postea hos protectores ac patronos habere .
22. Confucii effatum : Qui nec in cibo saturitatem , nec in habitatione commoditatem quærit , solers in negotiis , cautus in verbis , frequentandi Sapientes avidus , hic potest verè dici sapientiæ Alumnus .
23. *Tsu kum* Discipulus sic interrogavit Magistrum suum Confucium : Pauper sine adulacione , & dives sine fastu , quid rectè , reponit Confucius ; sed longè rectius : pauper in ærumna hilaris , & dives in opulentia æquus .
24. Tum Discipulus *Tsu kum* : numquid , inquit , illud est quod his verbis significat liber Carminum tom . *Que sum* , odâ *Ki yo* : Ossuarii laboris opifex primum ferrâ secat materiam osscam , postea ad eam perficiendam runcinâ dolat ; uti & gemmarii operis artifex primum scalpro scindit onychem , postea ad eum perficiendum pumice polit .
25. Mox illi Confucius : Nunc tandem , mi Discipule *Su* , potes librum Carminum explanare . Ex eo , quod vix dixeram , mox collegisti quid dicturus eram .
- Nota : *Su* est nomen istius Discipuli ; *Tsu kum* est cognomentum .
26. Confucii effatum : Sapientiæ Alumnus non dolet se ab hominibus , sed dolet homines à se non cognosci .

## ARTICULUS II.

1. **C**onfucii effatum: Princeps ut recte regat populos, debet suarum virtutum exemplo illis prælucere, similis stellæ polari, quæ licet vix à suo loco discedat, omnes tamen aliæ stellæ, cæli gyrum circumagentes, assiduè illam spectant.
2. Confucii effatum: quamvis liber Carminum contineat 300. & amplius Articulos; omnis tamen illorum sensus potest hoc uno verbo, quod habetur in ejus tom. 8. cap. *Lu tsum*, odâ *Kium*, comprehendendi: Nihil turpe cogita.
3. Confucii effatum: Si Princeps populos solis & imperiis dirigat, & pœnæ coercent; illi quidem scient pœnas evadere, sed nescient vitia erubescere.
4. Contrà si Princeps populos tum virtutum exemplo dirigat, tum honestatis viribus coercent; illi & scient vitia erubescere, & virtutes acquirere.
5. Confucius senex sic de se ipso aiebat: Vix ego quindecim ætatis annos attigeram, cum mox statui sapientiæ disciplinis vacare. Annos natus 30. jam totus in illis eram stabilitus, nec ulla mundi res animum à proposito dimovere poterat. Annos natus 40. totam honestatis scientiam, naturalesque rerum causas sine hæsitatione penetrabam. Quinquagenarius comprehendi Cæli legem, admirabilémque ejus cursum. Sexagenarius longo iam usu assuetus sapientiæ disciplinis, ita tunc facilis eram in illis penetrandis, ut quidquid aures exciperent, mox mens sine labore caperet. Septuagenarius denique, sequendo vel unum cordis mei impulsum, nulla in re honestatis leges penè transgrediebar.
6. *Mem y tsu* primarius Regni *Lu* Præfector quæsitus ex Confucio modum ritè Parentes colendi. Noli transgredi, respondit Confucius.
7. Postea Confucius curru vectus, suo Discipulo simul & Rhedario *Fan Chi* sic dixit: Nunc *Mem sun* (id est *Mem y tsu*) ex me petiit modum ritè Parentes colendi. Ego illi respondi: Noli transgredi.
8. Cum verò nec hoc satis intelligeret *Fan chi*, quæsitus ex Confucio quid significaret illud: *Noli transgredi?* Cui Confucius: Dum Parentes vivunt, juxta statas Rituum leges illis inservire; dum obiérunt, juxta statas Rituum leges illos sepelire; dum sepulti sunt, juxta statas Rituum leges quotannis illis parentare; hoc dicitur *non transgredi*. Ita autem respondit Confucius, quia tunc temporis in Regno *Lu* hujus primarii Præfectori *Mem sun* Familia cum aliis duabus *Xo sun*, & *Ki sun*, quamvis primarii tantum

Præf-

Praefecti seu Toparchæ titulo gauderet, sibi tamen vindicabat solemnes Regulorum Ritus.

9. Mem. *vix* p[ro]filius Praefecti Mem[or]is *tsu* quæsūt ex Confucio, quomodo Parentes colendi forent? Parentes, reponit Confucius, sunt semper solliciti, nè filii in mordum incident. Subintelligitur, addit Interpres: Tu igitur valetudinem conserva, nec eam vel luxuriā, vel jurgiis, vel commissatio-ribus lade, nè Parentium curas augeas.

10. Discipulus *tsu* *ye* quæsūt ex Confucio, quinam Liberi essent veri Parentum cultores? Cui Confucius: Nunc Liberi, qui Parentes alere nōrunt, dicuntur optimi eorum cultores; sed & canes & equos etiam alere nōrunt; si igitur interior & exterior reverentia absit; ecquod, quæso, di- scrimen inter Parentum & canum, equorumve sustentationem reperies.

11. Discipulus *tsu* *bis* quæsūt ex Confucio, quomodo filius Parentes codere deberet? Cui Confucius: Quod ego, inquit, in colendis Parentibus maximè difficile censco, est frontis serenitas. Cum Parentes aut fratre- res natu majores habent aliquid gerendum; si filius, aut frater natu minor pro illis laborenu istum subeat: sive cum filius aut frater natu minor cibo & potu affluit; si parentes aut freres natu majores laute tractet: credisne hoc suppetere, ut ille dicatur Parentes colere? Hæc enim, ad- dit Interpres, ficto animo fieri possunt; sola frontis serenitas singi non potest; ideoque difficillima.

12. Confucii effatum: Sæpissimè ego cum Discipulo meo *ten hoi* toto die colloquor de variis rebus ad sapientiam spectantibus; ast ille instar hebe- tis nè verbum quidem unquam opponit. Dum autem à me recessit, clam inspicio, quomodo ille se privatim gerat; & ecce quidquid ego do- cui, video illum bellissimè in praxim redigere. Tum ego tecum: Di- scipulus meus *hoi* non sanè est hebes & rudis.

13. Confucii effatum: Si vis nōsse, utrum quis sit sapiens, nec nè? vide quid agat. Si male; jam nōsti: Si bene; ulterius inspice quo fine illud agat? Rursus scrutare, quid ille amet? qua re delectetur? Si ita illum examina- veris, quomodo sanè, quisquis ille sit, poterit se abscondere, ut non noscatur?

14. Confucii effatum: Qui in eis, quæ priùs didicit, sese assiduè exer- cet, cùm semper nova addiscat, is potest optimè Magistrum agere.

15. Confucii effatum: Sapiens non est instar vasis, nempe uni aut tantum paucis usibus inservientis.

26. Discipulus *Tsim* ~~tum~~ quæsūt ex Confucio: Quid, inquit, præstare debet sapientiæ studiosus, ut sapientiam acquirat? Cui Confucius: Quod vult loqui, id prius agat; post facta sequantur verba. Sic illi respondit Confucius; quia iste Discipulus magis erat sermone, quam opere fecundus.
27. Confucii effatum: Sapientis erga homines amor est universalis, non particularis; Insipientis, particularis, non universalis.
28. Confucii effatum: Vir, qui ea, quæ addiscit, non conatur penetrare, erit semper ignarus: qui autem ea, quæ penetravit, non exercet, erit semper inquietus.
29. Confucii effatum: Qui studet pravas Sectas stabilire, hic multa sibi aliisque damna accersit. Hic Interpres rejiciens tum antiquas quorumdam dogmatistarum *Tam* *chu* & *Me tie*; tum recentiores Bonziorum *Ho xam* & *Tao su* pravas Sectas, pro unica vera doctrina proponit eam, quæ à tempore antiquorum Sapientum, continuatâ serie ad hæc usque tempora propagata est, utpote spectans rectam rationem, cordis rectitudinem, morum honestatem; hancque doctrinam sic explicat: ejus ordo, est reciprocorum Regis & Subditi, Parentis & Filii, Mariti & Uxor, Senioris & Junioris, Amici & Amici officium; ejus virtutes sunt pietas, æquitas, honestas, prudentia, veritas; ejus Sequaces sunt Litterati, agricultæ, artifices, mercatores; ejus exercitationes sunt ritus, musica, leges, pœnæ; ejus utilitas est ad componendos proprios mores, ad alios ritè regendos, ad conservandam populorum & Patriæ pacem. Ita ille :
30. Confucii effatum: Mi charissime *Teu* (cognomento *Tsu lu*)vis, ut te edoceam veram sciendi artem? quod scis, ostende te scire; quod nescis, ostende te nescire; istud est verè scire. Sic autem eum allocutus est Confucius, quia iste Discipulus fortitudinis amator, etiam ea, quæ nesciebat, scire ostendebat.
31. Discipulus *Tse cham* olim frequentabat Confucii palestram animo subeundi ad aliquam dignitatem.
32. Hunc autem ut erudiret Confucius, sic ait: multa audi, dubia sepone, reliqua prudenter loquere; sic in paucis errabis. Deinde multa aspice, periculosa sepone, reliqua diligenter age; sic in paucis dolebis. Qui autem & loquendo in paucis errat, & agendo in paucis dolet, hic veram subeundi ad dignitates tenet viam.
33. Regni *Lu* Regulus *Ngai kum* sic interrogavit Confucium: Quid, inquit, agere debet Rex, ut suos sibi populos obsequentes habeat? Cui Confucius:

cius : Viros rectos ad munia evehat , perversos omnes ab officiis arceat ; mox populi illi obsequuntur. Contrà si perversos ad munia evehat , rectos omnes ab officiis arceat ; tunc populi non obsequentur.

24. *Ki kam* primarius Regni *Lu* Præfector sic quæsūt ex Confucio : En Princeps , inquit , vult , ut sui populi debitam sibi reverentiam deferant , debitas sui muneris partes expleant , mutuos sibi invicem ad virtutem stimulos addant ; id consequendi quis modus ? gravi , reponit Confucius , modestiā populos regat ; mox populi debitam illi venerationem deferent . Erga parentes suos sit ipse reverens , erga omnes misericors ; mox populi debitas sui muneris partes explebunt . Probos ad munia evehat , improbos erudiat ; mox populi mutuos sibi invicem ad virtutem stimulos addent .

25. Fortè quidam sic interrogavit Confucium : Ecce , Domine , Magistratum aliquem non capessis , & regimen exerces ?

26. Cui Confucius : Nunquam , inquit , legisti , quid liber *Xu kim* seu Annalium Imperialium tom. 6. cap. *Kiun chin* dicat de debita erga Parentes observantia ? ibi Imperator *Chim ram* , mortuus suo primo Ministro simul & patruo *Cheu kym* , accersitum *Kiun chin* , virum singulari sapientia prædictum his verbis alloquitur : *Tua* , *Kiun chin* , singularis erga Parentes observantiam imbi optimè perspecta est ; filiali igitur erga patrem & matrem obedientiā , fraternaque erga fratres benevolentia , cùm optimum domi tuae tenere regimen probè noveris : ego judico te posse etiam Imperii mei negotia optimè tractare , & publico regimini praesesse . Ita iste liber . Si ergo obedire Parentibus , & fratres diligere sit verum regimen ; quid , quæso , opus est Magistratu , ut regimen exercere possim ?

27. Confucii effatum : Vir veritatis expers , ad quid præstet , ignoro . Si enim grandior currus , teinonis jugo ad alligandos boves , & minor currus , ligno transverso ad jungendos equos requisito careat ; qui sanè iter agat ?

28. Discipulus *Tsu cham* sic ex Confucio quæsūt : Potestne præsciri , quid in decem futuris Imperiis sit gerendum ?

29. Cui Confucius ut scias , inquit , quid in futuro gerendum : videoas , quid in præterito gestum . Itaque Imperiali Familiae *Hia* , quæ Imperium tenuit per 400 . & amplius annos , successit Familia *Tu* ; hæc quoad præci-  
puos Ritus & fundamentales Imperii leges , omnino se conformavit priori Familiae *Hia* , nihilque in iis immutavit ; quod verò attinet ad particula-

- ria Imperii statuta & consuetudinum varietates, v. g. vestiendi modum, anni principium, &c. quid illi hæc addiderit vel demperit, id facile resciri potest. Deinde Imperiali Familia *In sive Xan*, quæ regnavit per 600. & amplius annos, successit Familia *Chen*: hæc etiam quoad præci-  
puos Ritus, & fundamentales Imperii leges, omnino se conformavit pri-  
ori Familia *Xan*, nihilque in iis immutavit; quoad verò particularia statu-  
ta, & consuetudinum varietates, quid hæc illi addiderit vel demperit,  
id etiam facile resciri potest. Denique si quæ alia forte sit nostræ Imperiali  
*Chen* successura, (hac imperante vivebat Confucius;) non tantum in de-  
cem, sed in centum futuris Imperiis, quid huic additura vel demptura,  
adèoque quid sit gestura, etiam colligi & resciri nunc potest.
30. Confucii effatum: Dum quis ceremoniam *Cy* facit alicui Spiritui, cui  
non debet facere; hic non ad colendum, sed ad adulandum, id facit.
31. Deinde dum quis, quod æquum esse conspicit, non agit; hic fortitudine  
prosperus caret.

### ARTICULUS III.

**O**lim in tripudiis & musicæ choris, unicuique hominum gradui erat assignatus saltantium, atque ipsarum scenarum numerus; Imperato-  
ri scena 8., & in singulis scenis octo personæ, adèoque universim 64. acto-  
res. Regulis primi ordinis 6. scena, & in singulis scenis sex personæ, ad-  
eoque universim 36. actores. Minoribus Principibus & Præfectis 4. sce-  
na, & in singulis scenis 4. personæ, adèoque universim 16. actores. Litte-  
ratis duæ scena, & in singulis scenis duæ personæ; vel potius tantum il-  
lis licebat citharam & cymbalum pulsare. Jam verò quia Princeps *Chen*  
*kum*, Imperatoris *Chim ram* patruus, de Imperio optimè meritus fuerat:  
ideo Imperator *Chim ram* permiserat, ut Regni *Lu* Reguli possent & Musi-  
câ & Ritibus Imperatoriis, Principi *Chen kum*, istius Regni *Lu* conditori  
parentare; illi enim, aut potius ejus filio *Pe kin*, Regnum istud *Lu* jure he-  
reditario donaverat Imperator *Chim ram*. Postea Regni *Lu* Reguli in co-  
lendis aliis suis Majoribus defunctis & Musicam & Ritus Imperatorios pra-  
vo abusu sibi vindicârunt. Jam verò Præfector *Ki*, qui originem habe-  
bat ex *Von kum* ejusdem Regni *Lu* quondam Regulo, etiam istos Ritus Im-  
peratorios & tripudia 8. scenarum cum 8. personis in singulis scenis, mo-  
re Imperatorum, adhibebat in parentalí Aula, ad colendos suos Avos  
defunctos. Hinc indignatus Confucius, agendo de isto Præfectoro *Ki*,

sic

1. sic ait: *Iste Dominus Ki*, quamvis Prefecti seu Toparchæ titulo tantum fruatur, in anteriori tamen parentalis ædificii Aula ad colendos suos Majores defunctos adhibet tripudia Ritu Imperatorio, scilicet scenas &c., & in singulis scenis & actores, contra leges ac mores; & hoc toleratur? Certè si hæc culpa tolerari possit; dic, quæso, ecqua deinceps culpa tolerari non poterit?
2. Postquam *Vn van* primus Familiæ Cheu Imperator totam tandem Monarchiam obtinuisse, ad recolendam Patrui sui *Vn van*, qui eam inchoârat, memoriam, parentale ædificium magnificè extruxit, omnésque Regulos & clientelares Principes undequaque convocavit, et singuli suo fungentes officio parentales Ritus adjuvarent & illustrarent. Cùm autem Imperator *Vn van*, ministrantibus hinc & hinc Regulis, parentales Ritus peregrisset; jámque dapes defuncto Principi *Vn van* præsentatae, colligerentur ad eas Principibus distribuendas; tunc summus Musicæ Praeses cœpit intonare odam *Ten Ley yun yun*, (quæ habetur in lib. Carminum tom. 8. cap. Cheu tsum; id est, venere tandem unanimi mente. & votis communibus ex quatuor Imperii partibus undique Reguli, &c. Deinde in eadem oda habetur hæc stropha: *Sian guei pie kum*; *tien tsu mo mo*: id est, aspice, ut omnes illi uniuscujusque Provinciae Principes ac Reguli parentales Ritus venerabundi adjuvent; ut angusta Imperatoris parentantis Majestas profundam omnibus venerationem insipret. Postea ceteri Imperatores eundem Ritum & Cantum servaverunt, dum suis Majoribus defunctis parentabant; & vocabatur hæc oda Tum, id est, omnes unanimis conserti & sponte collecti; item Che, id est, colligere ferularum lances; quia nempe tunc canebatur ista oda à Musicis, dum illæ colligebantur. Jam vero tempore Confucii, tres Familiaz *Ki sun*, *Xo sun*, *Mem sun*, quia ex Regulis ortæ erant, præsumebant etiam canere illam odam Tum & Che, Imperatorum propriam, dum suis Majoribus defunctis parentabant. Hinc Confucius illas irridens: *Quomodo*, inquit, in parentalí trium illarum Familiarum Aula potest assumi & decantari hæc stropha: *Sian guei pie kum*, *tien tsu mo mo*? id est, aspice &c. Suprà: quia nempe nullus illic Imperator parentans, sed tantum Praefectus; nulli illic Reguli ministrantes, sed tantum quidam Subpræfecti.
3. Dein sic pergit Confucius: Vir pietatis expers, licet & Musicâ & Ritibus alium veneretur, ad quid tamen hoc juvat?
4. Quidam Regni *Lx* incola dictus *Lin fam*, cùm in Ritibus & Urbanitatis officiis multum facum & immodicum luxum videret, dubitavit an sic olim

instituta fuissent? ideoque interrogavit Confucium, in quo potissimum sita esset vera Rituum & Urbanitatum ratio? Cui Confucius: Magnam, inquit, questionem proponis. Rituum & Urbanitatum ratio duo complectitur: materiam & formam; v. g. olim in conviviis una tantum apponebatur escarum olla, & vini amphora, & hoc vocatur materia. Deinde lapsu temporū, quia antiquis Imperatoribus id visum est nimis inculsum; ideo instituerunt diversorum ferculorum lances, vasa pretiosa, ires raras corporis inflexiones; & hoc vocatur forma, seu decor externus. Simili modo in morte & funeribus Parentum, olim in principio tantum laetus intimus & lachrymæ veræ adhibebantur; posteà institutæ sunt vestes lugubres, plorandi, saltitandi modus, &c. Vera ergo Rituum & Decorum ratio in his duobus consistit; sed sensim depravati mores penè illum dumtaxat externum decorum retinuerunt, principali relicto. Itaque quod ego sentio, in conviviis videtur mihi ille, qui parùm parcus est, longè melius agere, quam ille, qui malè prodigus est; & in funeribus videtur mihi ille, qui verè ex intimo animi sensu luget Defunctum, longè melius agere, quam ille, qui tantum novit lugubrem speciem præferre.

5. Confucius rursus carpens tres illas Familias, sic ait: Eheu! omnes illæ exteræ gentes (eas vocat *Tie* nomine generali; particulari enim, orientales vocantur *Ti*; occidentales *Yü*, boreales *Te*, australes *Mou*) longè melius reguntur, quam nostra China, in qua totus regiminis ordo, distinctusque Rituum & Dignitatum gradus miserè nunc interiit.

6. Primarius Regni *Lü* Præfectorus *Ki* ~~sue~~ volebat Ceremoniam *Cy* facere spiritui montis *Tay xan*, unius ex 5. montibus in China sublimibus ac celebribus, diti *Yo*, id est, valde eminentibus Quia autem soli Reguli poterant Ceremoniam *Cy* facere montium & fluminum intra suæ ditionis limites jacentium Spiritibus; id agrè ferens Confucius, ad suum Discipulum *Gen kien*, qui erat istius Præfecti Subpræfectorus, sic ait: Numquid tu potes illum exhortando avertere ab isto cultûs opprobrio? Non possum, reponit *Gen kien*; stat enim in suo proposito obfirmatus. Tum Confucius: Proh dolor! putatne forsitan sublimem illum montis *Tay xan* Spiritum minus esse perspicacem, quam noster amicus *Lin fang*, apprimè Rituum peritus? Putatne, inquam, illum excepturum ista adulatio[n]is munera?

Nota: quinque *Yo* montes, sunt hi: Primus *Tay xan* ad urbem *Yen chen* in Provincia *Xan tum* situs, dicitur Orientalis *Yo*. 2. *Hoa xan* ad urbem *Hun tum* in Provincia *Xen si*, dicitur Occidentalis *Yo*. 3. *Ho xan* ad urbem *Hem chen*.

*eben* in Provincia *Hu quam* dicitur Australis *Io.* 4. *Hem xan* ad urbem *Tay tum* in Provincia *Xan si*, dicitur Borealis *Io.* 5. *Sun xan* ad urbem *Im eben* in Provincia *Kiam nan*, seu Nankinensi, dicitur Medius *Io.*

7. Confucii effatum: Sapientes non altercantur; si tamen cupis videre, in quo quasi altercentur, vide eos in Iudicro jaculandi certamine; in hoc si quidem speciem quamdam altercantis praeferunt. Dum enim parant subire suggestum ad jaculandum, post ter oblatum socio locum, ut prior ascendat, & post ter recusatum; tum demum bini ascendunt ad patulam Aulam, in qua præmissis iteratò urbanitatis officiis, tandem in scopum jaculantur; postquam omnes simili modo jaculati sunt, reverenter simul descendunt bini & bini, uti ascenderant. Tum victores iterum consalutant victos, invitantque ut accepto vini cratere rursus suggestum subeant, ibique stantes, in amissæ victoriæ pænam, illud ebibant. Atque hæc est Sapientum altercatio.

8. Discipulus *Tsu hia* sic quæsiuit ex Confucio: Quomodo, inquit, explicatur hæc libri Carminum Stropha? *Gratiosus risus in ore amabili, pulcher fulger in oculis micantibus, quam apta ad pingendum materia!*

9. Cui Confucius: Antequam, inquit, possit affabre elaborari pictura, materia apta præexistat, necesse est.

10. Tum *Tsu hia*: Numquid illa vult dicere, quod externa Rituum & Urbani-tatum officia, præsupponant internam cordis rectitudinem? Cui Confucius: Mi charissime *Xan*, (est hujus Discipuli nomen, cognomento *Tsu hia*) mentem meam verè indicasti: nunc tandem potes reconditum libri Carminum sensum explanare.

11. Confucius exoptabat trium Imperiorum, quæ longa annorum serie in China floruerunt, leges & regimen proponere tamquam omnium futurorum exemplar; nimirum Imperii *Hia*, cuius author *Tu*; *In* sive *Xan*, cuius author *Chim tam*; *Cheu*, cuius author *Ven ram* & *Vu ram*; hi primi Imperatores condendo suum Imperium, suum etiam regiminis modum ac leges simil condiderunt. Itaque Confucius sic aiebat: *Quod attinet ad Imperium Hia*; ego quidem magnam primarum illius legum & rituum partem referre possem; sed ut fidem apud homines tum præsentes tum futuros inveniam, verbaque mea pondus & autoritatem habeant; testimonium Regni *Ki*, in quo illius Posteri etiam nunc dominantur, non sufficit. Deinde quod attinet ad Imperium *In*; ego quidem magnam etiam primarum illius legum ac rituum partem referre possem; sed ut fidem a

pud homines tum præsentes tum futuros inveniam, testimonium Regni  
*sæc.*, in quo illius Posteri etiam nunc dominanrur, non sufficit; quia in  
 his duobus Regnis vel non subsistunt primarum illarum legum ac rituum  
*Annales*, priscorumque sapientum Ministrorum libri; vel si subsistunt,  
 sunt exoleti & truncati, adeoque non sufficientes ad faciendam fidem;  
 si enim sufficienter; possem illinc testimonium accipere, & sermones meos  
 comprobare.

12. Olim Sinici Imperatores, ut æternam erga suæ Familiaz Conditorem conservarent memoriam, & perpetua filialis observantiaz gratitudine eum colerent, parentale ædificium extruebant, in quo qninto quoque anno Conditori, uti & alicui alii antiquiori Imperatori, ex quo hic Familiaz Coaditor genus trahebat, parentare solemnissimo Ritu solebant, positâ in media Aula sede vacua, repræsentante locum istius antiquissimi Avi seu Imperatoris, & in parte australi ex opposito, appositâ ligneâ Conditoris suæ Familiaz tabellâ, in qua ejus nomen erat scriptum. Hæc parentatio vocabatur *Ts*, solisque Imperatoribus eam agere licebat. Cum verò Imperator *Chim Yam* permisisset, ut Regni *Lü* Reguli ad parentandum Principi *Chen Kum* illam Imperoriam solemnitatem agere possent, eumque agnoscerent ut suum Conditorem, & Principem *Yen Yam* ut suum antiquum Imperatorem; hi posteà in colendis aliis suis Parentibus defunctis, Imperatorios istos Ritus usurpârunt; quod tamen tantum concessum fuerat ad parentandum Principi *Chen Kum*. Hinc Confucius conquerens de hac quinquennali solemnitate in Regno *Lü* fieri solita, sic aiebat: Ego quidem, ut ceteri, quinquennali illi Imperatoriaze parentationis solemniti intersum; & certè usque dum vinum aromaticum novies est præsentatum, vel in terram effusum, potest adhuc aliquid esse dignum visu ob profundam omnium venerationem & ordinem. Sed cum posteà cetera omnia usque ad finem, perfuntoriè ac negligenter nullâ reverentiâ, nullo servato ordine, peragantur, ea sanè invitus specto.

13. Fortè quidam petiit à Confucio hujus quinquennalis Ritûs explicacionem. Quia autem hic Ritus erat maximè augusta erga priscos Avos gratitudinis exhibitio, Imperatorum propria, nulli alii licita, adeoque Regni *Lü* Regulis, qui eum sibi vindicabant, illicita; Confucius ratus se debere Patriæ suæ ac Regulorum culpam velare, clarè respondere noluit; sed sic respondit, nescio, inquit; qui enim profundam illius explicacionem callet, hic tam facile potest totum Imperium gubernare, quam vide se hanc suæ manū palmam.

14. Confucius, ut referunt ejus Discipuli, faciendo Ceremoniam Cy suis Majoribus defunctis, tantam observantiam; & eam faciendo aliis Spiritibus externis, tantam reverentiam adhibebat, non secus ac si Spiritus illic adfuissent. Et solebat dicere: nisi ego Ceremonia Cy interfvero, quamvis fortè alium, qui pro me eam fecerit, miserim; hoc tamen specto perinde ac si eam non fecisset.
15. Spiritus foci domûs, inquit Interpres Sinicus, est unus ex quinque Spiritibus domûs, quibus olim siebat ceremonia Cy; & huic quidem Spiritui sociæstate siebat ista Ceremonia. Modus faciendi Ceremoniam Cy istis s. Spiritibus, hic erat: primùm siebat Spiritui in proprio suo domûs loco ante ejus nomen, chartæ vel alteri rei inscriptum; v.g. si facienda erat Spiritui foci; primùm illi siebat in culina ad ostium focariæ fornaculæ ante illius nomen. Deinde quidam puer theatrali ueste indutus, representans Spiritum anguli, qui in cubiculo inter austrum & occidentem situs est, introducebatur in hunc cubiculi angulum, ubi dapes, alteri jam priùs oblatæ, denuò illi præsentabantur. Quamvis autem hic cubiculi Spiritus censeretur honoratior, alter tamen videbatur utilior; unde Regem illi, Præfectos huic comparabant, eratque proverbium: *præstat foci, quam anguli cubiculi spiritui servire, sive adulari.* Jam verò l'am sun kia primarius Regni Guei Præfectus, ratus Confucium in hoc Guei Regnum venisse, ut aliquem Magistratum quareret, idèò jocandi causâ sic eum interrogavit: Quid hoc, inquit, proverbium significat? *præstat foci, quam anguli cubiculi spiritui servire, seu adulari.*
16. Cui Confucius, faciem intelligens: Non ita, inquit: unum est Cælum, quod omnes honore & majestate superat; si autem in Cælum peccaveris; nullus est, quem roges, ut te à pœna eximat; nimirum nec foci, nec anguli Spiritum rogando, quidquam proficies.
17. Confucii effatum: Cùm nostræ Imperialis Familiax Chœu primi Principes Veniam, Vuam, Chœu kum perspexissent, quid in duorum priorum Imperiorum Hia & Xam legibus & ritibus vel defuisset vel redundasset; ipsi adeò præclaram regiminis artem insticuerunt, ut nihil præstantius, nihil ornatius inveniri possit. Ideò has Imperii Chœu leges tanto studio veneror ac sequor.
18. Confucius ingressus parentale Principis Chœu kum ædificium cum aliis collegis Præfectis, visis pretiosis lancibus, vasis onychinis, sericis ornamentis, aureis crateribus, singillatim percontabatur, quis foret eorum usus, quis finis, quis author? Fortè quidam ex adstantibus suspicatus has inter-

- interrogationes ex inscitia fieri : enimverò , inquit ; ecquis dicat filium istum Dynastæ oppidi *Cen*, callere Rituum scientiam ? Ecce enim ingressus parentale Principis *Chei kum* ædificium , omnia & singula interrogavit . Cùm id rescisset Confucius : nùl , inquit , contra Ritus peccare , hæc vera Rituum scientia est.
19. Confucii effatum : In libro Rituum jaculandi leges hoc præscribunt : Ars jaculatoria non in transfodienda scopi pelle , sed in attingendo scopo victoriæ collocat . ( Solebat pro scopo apponi alicujus feræ pellis ; pro Imperatore pellis ursi ; pro Regulis , cervi ; pro Præfectis , tygris ; pro Litteratis , apri ; & Imperator quidem jaculabatur ad distantiam 120. passuum ; Regulus 90. ; Præfecti 70. ; Litterati 50. ; ad indicandum potestatis & jurisdictionis majoris & minoris discrimen .) Nimirum quia singulorum vires non sunt ejusdem ordinis . Atque hic fuit priscus jaculandi modus ; quando major industriæ , quæ virium , habebatur ratio .
20. Olim Imperator , inquit Interpres , sub solstitium hyemale , sequentijs anni Kalendarij distribuebat Regulis , qui illud recondebant in parentali suorum Majorum ædificio ; & prima die cujusvis mensis , filialis suæ observantiæ denuntiationem illis faciebant præsentando ovem vel capram . Jam pridem hic Ritus in Regno *Læ* exoleverat , nempe à tempore Reguli *Ven kum* . Quamvis adhuc esset Præfectus destinatus ad habendam primo cujusque mensis die ovem vel capram præparatam ; nunquam tamen Regulus eam præsentabat . Hinc Discipulus *Tsu kum* cupiebat , ut istæ capræ & oves , destinatæ denuntiationi facienda primo cujusque mensis die , omnino tollerentur , nec amplius alerentur ad parcendum inutilibus sumptibus .
21. Sed Confucius sic illi : Mi charissime *su* , (*Tsu kum* erat cognomenum ,) tu ad parcendum sumptibus , de ove , quæ frustrè alitur , doles ; ego autem dolco de Ritu , qui non servatur . Quamvis autem , addit Interpres , amplius non servetur Ritus ; Ritus tamen memoria adhuc perseverat , qui stantibus illis ovibus vel capris poterit forsitan restaurari .
22. Confucii effatum ; Ego , dum inservio Principi , sancta urbanitatis officia omnino adimplere contendō , licet fortè quidam me ea agere existimant ad Principi blandiendum .
23. Regni *Læ* Regulus *Tim kum* quodam die petiit à Confucio , quomodo Ministri inservire suo Principi deberent ? Respondit Confucius : Princeps præcipiat Ministris humaniter ; Ministri inserviant Principi fidèliter .

24. Confucii effatum: Ille libri Garumnum prius odr̄, quæ incipit *Quan-*  
*sir* (id est, reciprocum querundam avium flaviatilium, nomine Ciu, modulamen)  
 Musicus modus videtur pulcherrimus; est quidem lætabundus, sed non  
 lascivius; gemebundus, sed non luctificus; adeoque aptissimus & ad  
 delectandum & ad movendum.
25. Olim extra secundam parentalis Majorum ædificij portam, sed intra gran-  
 de hujus ædificij septum, designabat quadratum terræ aream, Impera-  
 tores scilicet, Reguli 25. cubitis amplam, longa arborum serie consitam, ar-  
 gillâ conspersam, quatuor parietibus terminatam; paries orientalis colo-  
 re cœruleo, occidentalis albo, australis croceo, borealis nigro pingeba-  
 tur. In hac area solebant litare terræ seu regionis ac frugum Spiritui.  
 Regni autem *Li* Regulus *Ngai kum*, cum forte petivisset à Confucii Disci-  
 pulo *Tsay ngo*, quid significaret illud litamen, quod singulis annis siebat ab  
 Imperatoribus ac Regulis terræ ac frugum Spiritui? Sic illi respondit:  
 Prisci Imperatores illam terræ aream variarum specierum arboribus sere-  
 re consueverunt; sub imperio *Hia*, pineis; sub imperio *Ts*, cupressinis;  
 nunc sub imperio *Cheu*, castaneis; nempe, ut dicunt, ad incutendum  
 harum arborum castanearum aspectu populis terrorē. (Fit enim allusio  
 ad litteram Sinicam *Lie*, quæ & *castaneas* & *terrere* significabat. Dein in  
 illa area Rei solebant plecti. Incitè autem applicuerat *Tsay ngo* hæc ul-  
 tima verba; quia illæ arbores nihil mysterii continebant, sed tantum ad  
 ornatum & ad arbitrium serebantur.)
26. Cum igitur id rescivisset Confucius, illum reprehendendo, sic ait: egre-  
 giè sanè respondisti! sed cum res jam facta sit, nihil tibi dicam; cum esse-  
 etus jam sit securus, non te commonebo; denique cum id jam præterie-  
 rit, non te tuæ culpæ arguam.
27. Olim dum totum Imperium intestinis dissensionibus turbaretur, Regni  
*Cy* Regulus *Von kum* statuit Imperialem & Familiam & autoritatem tue-  
 ri, omnésque reliquos Regulos, qui nec per se nec per suos legatos Impe-  
 ratoris Aulam ad præstandum clientelare obsequium adibant, aut vi, aut  
 persuasionibus ad officium revocare; & certè brevi omnes illos Regulos  
 ad concordiam & ad officium reduxit, factus illorum omnium Dux, to-  
 tumque Imperium pacavit. Hujus autem Reguli primus Minister erat  
 quidam Praefectus nomine *Quon chum*, qui suis consiliis, artibus, labori-  
 bus illud opus maximè promoverat, ideoque magnam famam ob sua  
 præclarè gesta sibi comparârat; sed quia hæc omnia emanârant ex autho-  
 ritatis,

ritatis, famæ, utilitatis cupiditate, non ex vero sapientiæ fonte, ac virtutis amore, ideo Confucius illum carpens, sic ait: *Quām sanè vas exiguum extitit Præfectus ille Quon chum!*

28. Cūm fortè hoc quidam audisset: Num quia, inquit, *Præfectus Quon chum* parcus ac tenax fuit, ideo vas exiguum? Cui Confucius: *Enimvero parcus ac tenax! vastissimam & altissimam turrim San qui dictam, innumeris sumptibus exstruxit ad sui recreationem; deinde illius Subpræfecti & domus Administri, singuli unam dumtaxat rem curabant; nulli geminatum officium, nulli phura negotia.* Qui sanè dicatur parcus ac tenax?
29. Ergo, reponit ille, quandoquidem *Quon chum* ita liberalis ac magnificus extiterit nullis parcens sumptibus, numquid urbanitatis & rituum scientiam probè callebat? Cui rursus Confucius: *Enimvero urbanitatis & rituum scientiam callebat! soli tantum Reguli ante magnam suorum palaciorum portam possunt erigere murum, qui totam interioris domus faciem obstruat; ille tamen *Quon chum*, qui Toparchæ tantum titulo fruebatur, etiam ante suam portam ejusmodi murum exstruebat. Deinde soli Reguli, dum convenient & convescuntur, in media Aula apponunt mensam, supra quam pocula & cyathi deponuntur; (olim quando Sines humi sedendo supra stoeas seu mattas comedebant, nullisque adhuc mensarum & sedium usus erat; tunc erigebantur tantum duæ parvæ columnæ. inter quas collocabatur vas ligneum, vel figulinum, uno cubito altum, ad recipienda pocula, cyathos, &c.) ille tamen *Quon chum* in suis conviviis etiam apponebat ejusmodi mensam. Si ergo dici possit *Quon chum* urbanitatis & rituum scientiam calluisse; ecquis sanè deinceps dicitur illam scientiam ignorare?*

Nota: prisca Sinarum Musica his præcipue tribus constabat: 5. vocum seu notarum musicarum discriminibus, sive quinque modis musicis, Sinicè *On xim*; 8. diversorum tonorum instrumentis, Sinicè *Pa in*; & 12. fistulis diversæ magnitudinis; harum maxima continebat in longitudine 90. partes; quarum 100. faciunt cubitum Sinicum; harumque fistularum sex longiores, scilicet *Hoam chum*, *Tay cea*, *Kou sien*, *Juy pin*, *Y ce*, *Vu ye* dicebantur *Lio*; & sex breviores, scilicet *Ta liu*, *Kia chum*, *Chum lia*, *Liu chum*, *Nan liu*, *Im chum* dicebantur *Liu*; quamvis nomen generale esset *Lio*. Haec omnes 12. fistulæ serviebant ad temperandam aut dijudicandam Musicæ symphoniam; ad concordanda illa quinque vocum seu notarum musicarum discrimina, & illa 8. diversorum tonorum instrumenta. Sex longi-

longiores serviebant ad sonum gravem, longum, humilem; sex breviores serviebant ad sonum acutum, brevem, altum temperandum, aut di-judicandum. Jam verò ista s. vocum discrimina hæc sunt: primum dicitur *Kem*; hujus modus musicus est suavis, comptus, aptus ad ingerendam mansuetudinem & concordiam. 2. dicitur *Xan*; hujus modus musicus est gravis, fortis, aptusque ad inspirandam immotam animi rectitudinem, gravitatem, constantiam; ad res arduas exprimendas & conficiendas. 3. dicitur *Kis*; hujus modus musicus est religiosus, supplex, lan-guens, aptusque ad excitandam commiserationem & pietatem. 4. dici-tur *Chi*; hujus modus musicus est hilaris, festivus, aptusque ad consolati-ones, ad festivitates, ad recreandos animos. 5. dicitur *Tu*; hujus mo-dus musicus est serius, latus, mysteriosus, aptusque ad ingerendas pro-fundas cogitationes, & recta consilia. Hæc s. vocum discrimina com-parabant s. elementis, seu potius quinque rerum principiis universalibus, scilicet terræ, metallo, ligno, igni, aquæ. Denique illa diversorum to-norum instrumenta musica sunt hæc: primum dicitur *Hmen*, id est, quæ-dam species parvi coni, sex foraminibus instructi; in superiori parte acu-ti, in inferiori plani; eratque fistule, sive figulino opere elaboratum. 2. dicitur *Quon*, id est, fistula, eratque ex canna indica *Bambu* confectum. 3. dicitur *Kor*, id est, tympanum, eratque ex pelle confectum. 4. dicitur *Sem*, id est, quædam species utriculi, cum pluribus fistulis in cucurbita in-sertis; eratque ex cucurbita confectum. 5. dicitur *Hien*, id est, chordæ citharæ, eratque ex filis sericis confectum. 6. dicitur *Kim*, id est, lapis resonans, eratque ex lapide confectum. 7. dicitur *Chum*, id est, cam-pa-nula, eratque ex ære confectum. 8. dicitur *Chœ*, id est, quædam species lyra oblongæ duobus cubitis & 4. digitis, profundæ uno cubito & 8. digitis, eratque ex ligno confectum. Hæc 8. instrumenta comparabant 8. notis ænigmatis, dictis *Pæ qua*, libri *Ye Kim*, seu productionum ac muta-tionum; quia, inquiunt, uti omnium rerum numerus est octo; ita omnium vocum sonus est octo. Omitto reliqua: nunc ad textum venio.

go. Confucius iverat in Regnum *Guci*, illíque rectam Musicæ artem didice-rat; unde reversus in Patriam *Lu*, in qua illa quasi perierat, (licet semper subsisterent illius Praefecti, sed artis, musicarumque regularum ignari) voluit illam restaurare. Ideò suminum Musicæ Præsidem alloquens sic ait: Cùm, Domine, ejusmodi officio fengaris, te certè decet Musicæ ar-tem callere; perfectissima autem prisorum Imperatorum Musica etiam-

num resciri & addisci potest; sic enim edebatur: cùm Musica inchoanda erat, primò curabant, ut omnia ad musicum concentum requisita, scilicet 12. fistulæ directrices, 5. vocum disserimina, 8. tonorum instrumenta, (de quibus supra) optimè inter se consona forent. Deinde vocibus & instrumentis laxatis, maximè spectabant ut Altus, Bassus, Cantus, Tenor, quisque suum ordinem & tempus exactissimè servaret. Servato sic ordine ac tempore, insuper unusquisque curabat, ut proprium sibi tonum clarissimè pronuntiaret. Denique diligenter sollicitabant simultaneam cadentiam, nunc his incipientibus, nunc illis desinentibus, ita ut videtur ligata tota harmonia; atque ita cursu continuato perfectissima edebatur Musica.

**Nota:** Confucius, uti & prisci Imperatores Sinarum, Musicam pluri-mi faciebant, utpote quæ multum conduceret ad populorum concordiam, bonosque mores & rectum regimen. Ex auditu enim Musicæ, animi recreantur, pacantur, ad mutuum amorem & concordiam excitantur, pravi animorum motus mitigantur, virtutis pulchritudo ac vitii turpitudo appositè expressa cognoscitur. Deinde dum illa editur in parentali Majorum defunctorum Aula, reverentia, gratitudo, amor erga Parentes instillatur.

31. Confucius ob intestinos Patriæ tumultus peregrè discesserat, & circumjacentes regiones peragrabat. Cùm forte in Regnum *Gwei* appulisset, Praefectus oppidi r, qui Regni limites custodiebat, videndi & alloquendi Confucium cupidus, rogavit ejus Discipulos, ut sibi liceret illum alloqui. Quicumque enim, inquit, vir sapiens huc hactenus appulit, nullus est, quem ego non viderim ac salutaverim. Introdactus itaque est ad affatum; cùmque jam domo exiret, conversus ad Confucii Discipulos sic ait: Parva Discipulorum turba, eccur lugetis vestrum Magistrum dignitate carentem, huc illuc exulem agere? jam pridem virtus in orbe exulat; jam pridem totum Imperium sine lege, ordine, disciplina squallet; ast ego singularem vestri Magistri virtutem ac scientiam intuens, arbitror eum singulariter à cælo destinatum, ut brevi ad summum Magistratum electus, deperditum Imperii regimen restauret; leges, virtutem, disciplinam ab exilio revocet, sitque instar magni illius tintinnabuli, vel campanæ æneæ, linguae ligneæ instructæ, quâ Praefecti, ubi vel leges ac præcepta promulgant, vel mōrum ac vitæ documenta tradunt populo collecto, ad conciliandam attentionem utuntur. (Rej civilis Praefecti

utebantur tintinnabulo, cuius lingua erat lignea; militaris disciplinae  
Præfecti, tintinnabulo, cuius lingua erat metallina.)

32. Olim dum Sceptrum Sinicum ab una Familia transibat ad aliam, novus Imperator post Imperium publica pace firmatum, suas leges ac Ritus condebat, novamque Musicam componendam curabat. Pro Musicæ autem argumento, præclara istius novi Imperatoris gesta ac virtutes, ut toti Imperio patefierent, assumebantur; atque ita ex nova Musica cognosciebatur novi Imperatoris virtus ac gesta. Deinde cuique Musicæ indebatur nomen, ejus argumento conforme; hinc Imperatoris *Hao* *ti* (qui præcipiuus fuit Monarchæ Sinicæ Conditor & Musicæ Author) Musica vocata est *Hien* *chi*, id est, universale virtutis, disciplinæ, liberalitatis, recti regiminis profluvium aut irrigatio. Imperatoris *Chuen* *hi* Musica dicta est *Lo* *hem*, id est, sex brachia arborea, seu rami qui uno trunco inhaerent; quia hic sex fistulas concordia Musicæ rectrices, de quibus supra, invenit; uti & Kalendarium sex mensibus correspondens ab uno solsticio ad aliud. Imperatoris *Ts* *ko* Musica dicta est *Ou* *ym*, id est, quinque baccæ, seu flores; quia hic quinque vocum seu notarum musicarum discrimina, earumque quinque modos musicos novit adaptare ad floridam & rectam Musicæ compositionem. Imperatoris *Tao* Musica dicta est *Ta* *cham*, id est, grande luminis jubar; quia hic totum Imperium optimis legibus, documentis, exemplis illustravit. Imperatoris *Xun* Musica dicta est *Siao* *xao*, id est, canneus fistularum, instar quarum grandium alarum inter se junctorum, contextus; quia hic singulares Prædecessoris sui *Tao* virtutes & pacificum regimen continuavit. Imperatoris *Tu* Musica dicta est *Ta* *bia*, id est, grandis imitatio; quia hic optimum duorum suorum Prædecessorum *Tao* & *Xun* regimen & sapientiam imitatus est. Imperatoris *Tam* Musica dicta est *Ta* *bu*, id est, grandis protectio; quia hic populis duro immitis Imperatoris *Kie* jugo oppressis adfuit, & tyrannidem extinxit. Imperatoris *Vu* *vam* Musica dicta est *Ta* *vu*, id est, grandis fortitudo; quia hic immite Imperatoris *Chen* Imperium bellando extinxit. Principis *Chen* *kym* Musica dicta est *Cho* *bo*, id est, felix rei diligenter perpensa exitus; quia hic, cum ageret supremum Imperii Administratorem pro parvulo Nepote *Chim* *vam*, diligenter perpendebat, quid frater suus *Vu* *vam*, & Pater suus *Ven* *vam* egerant, & quomodo rexerant, ut bene cœpta perficeret. Nunc ad textū venio. Confucius bellici strepitū osor, rectique cordis & pacifici regiminis amans, sic solebat dicere: Illa Imperatoris *Xun* Musica dicta *Xao*, non cantum

tum est pulcherrima, comptissima, & juxta artis leges bellissimè compo-  
sita; sed etiam optima, atque ultimum quasi perfectionis gradum assecu-  
ta. (Quia nempe præter ornatam compositionem erat benignitas, pietas,  
modestia insinuatrix, ac sapientia magistra.) Quod verò attinet ad  
istam Imperatoris *Vñ ram*, dictam *Ta vñ*, est etiam pulcherrima, ornatissi-  
ma, bellissimè composita, sed ultimam illam virtutis perfectionem non  
est assecuta. (Quia nempe bella & martia herorum facinora decantabat, in  
quibus non potest non aliquid peccari.)

33. Confucii effatum: Si quis aut in gerendo Magistratu nullam patescat  
magnanimitatem, aut in exhibendis urbanitatis officiis nullam prodat  
venerationem, aut in adeundis excuiis nullum afferat dolorem; quid est  
sanè, quod in hujusmodi homine dignum laude suspicias?

## ARTICULUS IV.

1. **C**onfucii effatum: Quod alicui vico decorum ac decus parit, est mu-  
tua habitantium pietas, benevolentia, concordia. Si quis autem  
electurus domicilium, non eligat habitare in ejusmodi vico; quomodo  
sanè potest dici prudens?

2. Confucii effatum: Vir pietatis expers nec infiustam nec faustam sortem  
diu ferre potest: in hac enim positus, mox arrogantiæ, impudicitiæ,  
comessationibus; in illa, mox impatientiæ, iræ, latrociniis habenas la-  
xit. Pius autem, in pietate suaviter degit; prudens, pietatem ardenter  
appetit.

3. Confucii effatum: Soli pii ac recti viri possunt alios rectè & amare. &  
odisse.

4. Confucii effatum: Qui pietatem cordisque rectitudinem sequi firmiter  
statuit, hic potest ab omni crimine se tutari.

5. Confucii effatum: Quod passim homines appetunt, sunt honores & divi-  
tiæ; sed haec Sapiens, si indebitâ viâ obtineat, mox à se abjicit. Deinde  
quod passim homines horrent, sunt contemptus & paupertas; sed haec  
Sapiens, si indebitâ viâ patiatur, non à se abjicit.

6. Si Sapiens pietatem cordisque rectitudinem à se abjiciat, qui poterit subli-  
mem magni istius nominis, quod profitetur, perfectionem adipisci?

7. Imò verò ita secundæ pietati cordisque rectitudini incumbat, necesse est,  
ut nec inter edendum illius obliviscatur, illive adversetur. Denique si-  
ve inopinati angustiarum casus subito occurrant; sive calamitates adver-  
sæque

- sq̄e fortunæ vicissitudines illum premant, firmus semper inoffenso pēde huic pietatis & recti cordis viæ debet insistere.
8. Confucii effatum: Nondum ego vidi perfectum pietatis amatorem, qui non fuerit perfectus turpitudinis osor. Perfectus enim pietatis amatorem debet pietatem ita amplecti, ut nihil ipsi addi possit. Perfectus turpitudinis osor debet pietatē ita sectari, ut nihil turpe in ipso reperiri possit.
9. Jam verò ēstne, qui saltem vel uno die non valeat omnes corporis & animi vires sectandæ pietati impendere? ego sanè nondum vidi, cui vires ad id non suppeterent. Si autem fortè uspiam detur hujusmodi vir, profecto eum non vidi.
10. Confucii effatum: Hominum culpæ, uniuscujusque conditioni conformatas esse solent; (nimirum piorum culpæ, sunt excessus benevolentia & gratitudinis; improborum, excessus odii & ingratitudinis) unde si aliquis culpas inspexeris, mox scies piúsne sit? nec nè?
11. Confucii effatum: Qui rectam vivendi disciplinam manū didicit, vespere potest tranquillè mori.
12. Confucii effatum: Si quis, ubi rectam vivendi disciplinam sectari statuit, posteà vestes rudes induere, & vilibus cibis vesci erubescat, hic sanè non est aptus ad excipiendam sublimem illam rectè vivendi scientiam.
13. Confucii effatum: In quibusvis mundi rebus nec ad agendum, nec ad non agendum omnino se prædefinit Sapiens; sed unam ubique æquitatem sectari statuit.
14. Confucii effatum: Sapiens unam virtutis pulchritudinem, Insapiens unam domicilii commoditatem; Sapiens unas Regni leges, Insapiens unas mundi opes assiduè meditatur.
15. Confucii effatum: Qui totus utilitati vacat, hic multa odia sibi accersit.
16. Confucii effatum: Si Rex vera comitate & demissione Regnum gubernet, ecquam sanè patietur difficultatem? qui autem vera comitate & demissione Regnum gubernare nescit, ad quid juvabit fucata comitas & demissio.
17. Confucii effatum: Sapiens non dolet se dignitate, sed dolet se dotibus ad dignitatem necessariis carere; nec dolet se ab aliis non cognosci, sed eis, ob quæ possit cognosci, studet.
18. Confucii Discipulus *Sen*, cognomento *Tsem tsu* diligenter quidem Magistri doctrinæ incumbebat; sed quia generale illius principium non satis noscebat, ideo Confucius eum compellans sic ait: *Mi charissime Sen*, ut mul-

- multi rivi ab uno fonte , & multi rami ab una radice : sic multa mensa ſapi-  
entiae p̄cepta ab uno principio emanant , & omnia in uno concludun-  
tur. Mox Discipulus ſen mentem Magistri capiens , reponit ; ita ſanctus  
est , inquit.
19. Cum autem egressus eſſet Confucius , ceteri Discipuli , qui Magiftri ver-  
ba ac mente non ſatis penetrarant , cooperuant rogarē Condiscipulum  
ſen , ut eam ſibi explicaret. Hic ſic illis : Tota , inquit , Magiftri doctri-  
na in hoc uno ſita eſt principio : muneris ſui partes explere , & alios ex ſe  
ipſo metiri.
20. Confucii effatum : Sapiens in æquitate , Inſipientis in utilitate peritus eſt.
21. Confucii effatum : Sapiens , dum videt Sapientum virtutes , has in ſe habe-  
re exoptat ; dum Inſipientium vitia , hinc in ſe an habeat , examinat.
22. Confucii effatum : Filius obsequens ſi forte patrem aut matrem peccare  
videat , eos per blandè quafi admonet ; ſi autem videat , quod ſe monentem  
audire nolint ; non ideo ſolitam & reverentiam & obedientiam eis deferre  
defiſtit ; quin imò quamvis ſtomachati , iſpum aut verberibus aut labo-  
ribus premant , non illis ſuccenſet.
23. Confucii effatum : Quamdiu pater & mater vivunt , filius non procul ab-  
eat , (nè ſcilicet ſtata debitæ obſervantie obſequia mane & vespere , hie-  
me & æſtate erga Parentes p̄ſtanda omittat) ſi autem urgente cauſa pro-  
cul abeat ; quod vadat , eos præmoneat.
24. Confucii effatum : Qui totos tres annos à patris obitu non dimittit pa-  
ternam vivendi normani , hic dici potest filius obsequens.
25. Confucii effatum : Patris & matris ſtatem ſcire , omnino filius debet ; tum  
ut illius longitudine gaudeat , tum ut illius caducitatem timeat.
26. Confucii effatum : Prisci Sapientes verborum erant parcissimi ; verebra-  
tur enim , ſi ſua facta verbis non responderent , nè poſteā erubefcerent.
27. Confucii effatum : Qui in omnibus moderatus eſt , hujus culpa ſunt  
paucæ.
28. Confucii effatum : Sapiens in verbis tardus , in factis ſolers.
29. Confucii effatum : Virtus nunquam ſola eſt , ſed ſemper vicinis abundat.
30. Iuxta Confucii Discipuli effatum : Minister importunè Regem arguens ,  
probrum ſibi accerſit ; Amicus importunè Amicum arguens , recessum il-  
li preſcribit.

## ARTICULUS V.

1. **C**onfucius agens de suo Discipulo *Kum ye chan* sic aiebat: *Quamvis Discipulus meus Kum ye chan retris vinculis detentus fuerit ob quædam Regni negotia; possum tamen meam illi filiam in matrimonium collocare; non enim suâ culpâ, sed inimicorum invidiâ hanc injuriam passus est.* Et revera suam illi filiam in matrimonium collocavit.
2. Deinde agens de suo Discipulo *Nan yum* sic aiebat: *Meus ille Discipulus Nan yum verus sanè fuit sapientiae sector; dum enim bono regimine Regnum floruit, ita præclaras suas virtutes prodidit, ut Magistratu semper potitus fuerit; dum malo squalluit, ita se cautè gessit, ut semper ab omni periculo & danno evaserit.* Tum addunt Confucii Discipuli: *hinc factum est, ut Confucius fratri sui filiam ei in matrimonium collocarit.*
3. Rursus agens de alio suo Discipulo cognomento *Tsu cien* sic aiebat: *Ubinam sanè reperias ejusmodi virum? attamen si nullus in nostro Regno Lu extitisset Sapiens, à quo adjutus fuisset, quomodo potuisset sublimem illum sapientiam ac virtutem sibi comparare?*
4. Discipulus *Tsu kum*, auditis his sui Condiscipuli laudibus, mox de se ipso sic Confucium interrogat: *Tuus ego su, quid?* (*Tsu kum* erat cognomenum) cui Confucius: *Cum sapientiae Alumni aptentur ad regimen, ut vasa ad usum; hinc ego te vasi comparo.* Cui vasi, inquit? *Vasi illi onychino, reponit Confucius, sub imperante Familia *Hia*, olim dicto *Hu*; deinde sub imperante Familia *Xam*, dicto *Lieu*; nunc sub hac imperante Familia *Chen*, dicto *Fu quei*, quod in parentali defunctorum Imperatorum Aula inservit ad milium imponendum.*
5. Quidam agens cum Confucio de ejus Discipulo *Gen yum*: *tutus, inquit, ille Discipulus *Ium* præclara sanè pietate pollet; sed oris facundiâ caret.*
6. Cui Confucius: *Ad quid, inquit, in virtutis palestra prodest oris facundia?* Verboſi illi homines, qui verba verbis prompte reponunt, ut plurimum ab aliis fastidiuntur. Quod autem afferis Discipulum *Gen yum* pietate pollere, id ego nescio; sed quod opposis oris facundiâ eum carere, illud est, quod ego in illo plurimi facio. *Quid sanè ad pietatem juvat oris facundia?*
7. Confucius conspicatus præclaras sui Discipuli *Cie tiao key* dates, volebat illum dimittere ad querendum aliquem Magistratum; sed hic suæ tenuitatis conscius, modestè Magistro reposuit: *Ego, inquit, istam regendi astem*

artem nondum satis calleo; eam adhuc addiscere cupio. Quo responso vehementer gayisus est Confucius.

8. Confucius peragratis frustra variis Chinæ Provinciis, ut suam de arte recte vivendi & regendi doctrinam propagaret, tandem suspirans: Eheu! inquit, doctrina mea nullum sortitur effectum; numquid sanè me juvat, lignorum struem passum in fluviis natatilem scandere, & in mare procul transfregare? Sed quis me comitaturus est? an non meus Discipulus Chum yen? Quo audito Chum yen, cognomento Tsu lu, ratus Magistrum serio loqui, mox totus gaudio exiliit; unde illi sic Confucius: Meus ille Chum yen profectò me fortitudine superat; sed quæ bene fieri possint, nec nè, metiri non novit.

9. Men vu pe primarius Regni Lu Praefectus, quia volebat aliquos proponere Regulo ad dignitates promovendos, quælibet ex Confucio, cum ejus Discipulus Tsu lu pietate, seu absoluta cordis rectitudine polleret? Cui Confucius: Nescio, inquit.

10. Mem vu pe, cùm non posset sibi persuadere Confucium id nescire, rursus eum de eadem re interrogavit. Tum Confucius: Meus, inquit, Discipulus Chum yen fortitudine quidem præstat; sit enim Regnum 100. stadiis amplum, ex quo mille quadrigæ bellicæ educuntur; totam ejus militiam illi committe; hanc optimè poterit regere. An autem pietate, seu absoluta cordis rectitudine polleat, hoc ego nescio. (Nimirum hæc virtus in animo latet.)

11. Deinde rursus interrogans, sic ait: Tuus autem Discipulus Gen kieu, quid? Cui Confucius: Gen kieu præclaris etiam dotibus ornatus est; sit enim oppidum mille domos recensens, vel numerosa primarii Praefecti Familia, cuius ditio centum bellicis quadrigis potens, decem terræ stadiæ complectitur; vel hanc vel illud ei committe; utrumvis optimè poterit regere. An autem pietate, seu absoluta cordis rectitudine polleat, hoc ego nescio.

12. Iterum pergens interrogare sic: Tuus Discipulus Kum si che, quid? Cui Confucius: Kum si che sat Ritus callet; dum igitur Regulorum Legati adveniunt: stans in regia Aula aulico cingulo præcinctus, solemnique veste indutus, posset ipse optimè illos excipere, & de rebus legationis colloqui, adeoque hoc illi munus committi posset. An autem pietate seu absoluta cordis rectitudine polleat, hoc ego nescio.

13. Confucius, cùm sèpè videret suum Discipulum Tsu lu de aliis ferre iudicium

judicium, sic eum interrogavit: Mihiarissime *Sū*, (I*sū*, *sū* erat cognitum,) tu & tuus Condiscipulus *Ten hōeī*, uter altero peritior?

34. Mox *Iṣū kum* demissè respondens: Tuus, ego *Sū*, qui auctor oculos, ad Condiscipulum *Ten hōeī* attollere, mēque illi aequiparare? ille perspicaci ingenio à natura donatus, dum in sapientia palæstra unum audit, mox decem infert & capit; ego autem repens humi, dum unum audio, vix possum alterum inferre & capere.

35. Tum Confucius: Rectè; inquit, judicasti: quod enim adeò ingenuè facies te illi non esse parem, id ego tecum etiam sentio: tu reverè non illi par es.

36. Confucii Discipulus *Tsāj yū*, cùm aliquando interdiu obdormisceret in schola, gravatisque somno oculis ad Magistri documenta obsurdesceret, Confucius ejus pigritiam increpans sic ait: Nec lignum putridum elaborari, nec luteus paries dealbari potest; (ita nimis nec somnolentus Discipulus sapientia documentis efformari); ad quid igitur juvat pigrum istum *Iu* corrigere?

37. Confucii effatum: Olim dum primum agebam cum aliquo, audiebam eius verba, & quæ diceret, ipsum agere credebam; nunc vero agens cum aliquo, audio eius verba, & inspicio eius opera. Cur autem sic mentem mutarim, id fecit noster Discipulus *Iu*. (Quia nimis ubi hic primum Confucii palæstram frequentare coepit, assidue aiebat se yelle impigrè sapientia disciplinis vacare; at postea nîl opere complebat diurnus somniator.)

38. Confucii effatum: Nondum ego constantem & fortem vidi. Protinus quidam objicit: Numquid tuus ille Discipulus *Xin chen* vir verè fortis & constans est? Cui Confucius: Enimvero vir fortis & constans! meus ille *Xin chen* voluptatibus deditus est; qui sanè possit vir fortis & constans esse?

39. Discipulus *Iṣū kum* colloquens cum Confucio, forte coepit sic de se ipso loqui: quod ego nolo, ut alter mihi faciat, hoc ego nolo alteri facere. Cui mox Confucius. Mihiarissime *Sū*, id perfectionis nondum attigisti; enitere, ut attingas.

40. Discipulus *Iṣū kum*, cùm forte Confucium de natura & cæli lege disserentem audijser, sic coepit loqui: Singularem Magistri nostri modestiam, gravitatem, facundiam quilibet Discipulus potest passim percipere; sed

cum de natura , de recte rationis substantia , de cæli via seu agendi ratione differentem non licet , nisi rarissimè , audire.

21. Discipulus *Tsu lu* (ut referunt ejus Condiscipuli) ubi audierat aliquod réctè vivendi præceptum , si nondum illud opere completere potuerat , magnopere verebatur , nè alterum rursus audiret ; utpote cupidus illud , quod priùs audierat , opere complendi ; timebatque , nè simul utrumque completere non posset.

22. Postquam *Kum yu* primarius Regni *Guei* Præfectorus obiis̄set , inditum est illi cognomentum *Ven* , quod significat *descendi empigrum* & *interrogandi studiū* . Olim mos erat Sinis , uti & nunc , à morte alicujus Viri illustris , aut Principis indere illi cognomentum honorabile , vel minus honorabile juxta illius virtutes vel vitia . Hinc Discipulus *Tsu lu* , cùm dubitaret , an hoc cognomenum *Ven* satis quadraret illi Præfecto *Kum yu* , quem in vita non satis laudabilem fuisse censebat , rogavit Confucium : quoniam pater , inquit , Præfectorus *Kum yu* post mortem præclaro illo cognomento *Ven* donatus est ? Cui Confucius : Præfectorus *Kum yu* quamvis foret perspicaci & expediti ingenii , nolebat tamen sibi suoque ingenio fidere , sed strenuam in addiscendis Rituum , ac Musicæ legibus , aliisque sapientiae disciplinis operam navabat ; deinde quamvis præclara primarii Præfecti dignitate fulgeret ; non tamen erubesceret vel ab ipsis inferioribus consilium petere , & dubia interrogare . Idcirkò optimè inditum est illi cognomenum *Ven* .

23. Confucius , agens de *Tsu chao* primario Regni *Chim* Præfecto , sic aiebat : virtutes quatuor , quæ in sapiente Præfecto requiruntur , vir ille eximiū omnino possidebat ; nimirum venerandam modestiam in suis moribus , exactam diligentiam in Regis negotiis , sollicitam liberalitatem in populi sustentatione , rectissimam æquitatem in Subditorum regimine .

24. Confucii effatum : Eximius ille Regni Cy Præfectorus *Yen pim chum* quam bellè noverut uti amicorum consuetudine ! quamvis enim diurna jam foret illius cum altero familiaritas , non tamen propterea minus reverenter & urbanum se exhibebat .

25. Primarius Regni *Lu* Præfectorus *Tsan* postquam obiit , donatus fuerat cognomeno *Ven chum* , quod significat *virum prudentem* & *perspicacem* ; & talis passim celebrabatur . Id autem improbans Confucius , sic effatus est : Quoniam certè pacto *Tsan ven chum* potest dici prudens & perspicax ? ille enim pro recondenda & conservanda magna testudine , olim in Regno *Tsay* inven-

inventa, ( unde illi testitudini nomen *Tsay*, ait interpres ; & hac Regnum *Lu* utebatur cum ad sortes determinandas, cum ad tergiversationes tollendas ) construxit magnificentum conclave , & in columnarum affabre elaboratarum capitellis effinxit quamdam concavi montis speciem ; deinde supra breviores secundi ordinis columellas, depingi curavit fluviales herbas , quasi videretur re ipsa inter eas habitare magna illa testudo. Qui sanè hujusmodi vir potest dici prudens & perspicax ?

26. Discipulus *Tsu chon* sic interrogavit Confucium : celeberrimus , inquit , ille vir *Tsu ven*, ter in Regno *Tso*, ( id est, *Hu quam* Provincia ) obtinuit supremam primi Ministri dignitatem , nec ullum unquam vanæ luctiz signum edidit ; & ter eandem amisit , nec ullam unquam tristiz aut iræ notam patefecit ; quin imò novo Ministro successori suo, omnes præteriti regiminis res , ordinem , negotia singillatim exponebat sine invidia aut suspicione. Ecquid , quæso , de illo sentis ? Cui Confucius : Sentio , inquit , illum fuisse fidum Ministrum. An etiam pius ? reponit *Tsu chon*. Cùm pietas , inquit Confucius , maximè in cordis restitutidine , quæ latet , sita sit ; an fuerit pius , nec nè , nescio. Qui enim ob illam solam exteriorem virtutis speciem , continuò censeri possit pius ac rectus ?

27. Rursus *Tsu chon* sic interrogavit Confucium : Olim famosus ille Regni Cypriarius Præfектus *Tsuy* particidali manu suum Principem interfecit. Mox varii varia : alii scelus scelere protegere : alii occultâ patientiâ & silentio tolerare. Solus *Chin ven* ibidem primarius Regni Præfектus immagine facinus ferre non sustinens , abjectis honoribus & opibus , & decem bellicis quadrigis , quas habebat , penè solus domo profugit , patriūmque solum vertit , nè aliquo modo videretur Parricidæ consentire. Appulsus in aliud Regnum , cùm ibi etiam Præfectoris suo Principi infidos reperrisset ; & hi , inquit , sunt instar nostri Præfectoris *Tsuy* ; his dictis confessim aliò transmeavit , nolens illic unfrainservire isti Regulo. Deinde in alterius principis Regnum appulsus , cùm rursus similes comperisset Præfectoris ; & hi , inquit , sunt etiam instar nostri Præfectoris *Tsuy* ; hisque dictis iterum aliò perrexit. Præceptor , dic , quæso , quid de hujusmodi homine sentis ? Cui Confucius : Hunc , inquit , alieni sceleris purum censeo. An etiam pius ? reponit *Tsu chon*. Cùm pietas , ait Confucius , sic cordis virtus , quæ latet , fueritne pius nec nè , ignoro. Qui enim ob solam illam exteriorem virtutis specie continuò dici possit pius ?

28. Fortè narrabat quidam primarium Regni *Lu* Præfectum *Ki ven* oliga ita in

omnibus rebus cautum fuisse, ut antequam manum operi admoveeres, ter illud ad examen vocaret. Quo auditio Confucius: Mihī, inquit, videtur bis sufficere.

29. Confucii effatum: Primarius olim Regni Greci Praefectus Nm, cognomento *Wu*, dum Regnum bono regimine florebat, singularem suam sapientiam doctissime prodebat; dum malo squallebat, quamvis omnia Regni negotia clam sollicitaret, se tamen rudent & ignarum palam simulabat. Illa quidem ejus docta sapientia potest adhuc imitatione sequari; sed hæc ejus sapiens inscitia omnino non potest.

30. Confucius peragratis frustrà variis Chinæ Provinciis, ut suam doctrinam propagaret, cùm tandem esset in Regno *Chin*, longo tadio affectus, sic ingemuit: An non redire, an non, inquam, redire in Patriam præstat? non paucos enim in Patria reliqui Discipulos, qui mente quidem subtili & magnis animis excellunt; sed sapientius volunt plus agere, quam possint; floridus eorum agendi modus externam morum perfectionem totus spirat; sed cùm non satis noverint rectam *Immutabilis Medi* viam, ideo sapientius officii limites excedunt, adeoque edocendi sunt. Hi saltē poterunt meam doctrinam Posteris transmittere.

31. Confucii effatum: Celebres illi duo fratres *Pey*, & *Xo cy*, (patrem habuerū Regni *Kou cho* Regulum) quamvis forent exactæ disciplinæ rigidi cultores; non tamen malos male, sed bene malorum scelera oderant; & si hi resipiscerent, vetera eorum scelera non amplius recordabantur. Unde siebat, ut rarissimè alii illis succenserent.

32. In Regno *Lu* quidam vir exciterat dictus *Uy sem kao*, qui passim tanquam absolutum viri sinceri & recti exemplar celebrabatur. Cùm autem id improbaret Confucius, sic ex unica ejus minima actione refellit: qui, inquit, iste *Uy sem kao* potest dici vir rectus & sincerus? Fortè quidam ab eo rogārat acutum, quod cùm dominion habeter, noluit recte & sincere id fateri; sed tergiversatione & circumloquendi arte usus, ivit postulatum illud à Vicino; & quod commodārat, quasi fuisset suum, petenti tradidit.

33. Confucii effatum: Speciosis verbis, fucato vultu, immodicis urbinatis vir sapiens *Tso kieu min* olim uti erubescerat; & ego *Men* pariter erubesco. Clam in animo aliquem odisse, & palam specie tenuis diligere ac frequentare, idem *Tso kieu min* olim etiam erubescerat; & ego *Men* pariter erubesco.

Nota: *Men* erat nomen Confucii, quo se ipse nominabat; sed alii eum nominabant *Kieu*,

34. Con-

34. Confucius conversus ad suos Discipulos *Ten yuen*, & *Ki lu*, qui sibi forte adstabant, sic eos affatus est: Charissimi, jam pridem hanc palestram frequentatis; quidni mentem vestram mihi aperitis? quid possunt amatis?
35. Mox *Ki lu*, (*Tsü lu cognomentum orae*) reponit: Ego, inquit, si haberem currus, equos, leves pelliceas vestes; haec omnia vellem, ut essent amicis communia; & quanvis illo usu forte corrumperentur, non ideo tamen in iras & querelas erumperem.
36. Ego autem, inquit *Ten yuen*, si quid rectum aut honestum forte egerim, non amo illud jactitare; si quid laboriosum aut laudabile forte praeficerim, non amo illud propalare.
37. Deinde *Tsü lu*: Nunc, inquit, te, Magister, rogo, ut nobis etiam tuam mentem exprimas. Cui Confucius: Ego, inquit, vehementer opto, ut in toto mundo, quod unicuique convenit, unusquisque teneat: nimurum, ut senes copiosis alimentis recreati tranquille vivant; ut amici illibata verborum fide & animi candore conjuncti familiariter inter se agant; ut pueri paterno amoris studio educati ritè edoceantur.
38. Confucii effatum: Eheu! quò spes nostra recidit! actum est. Quocumque enim huicunque profectus sum, nè unum quidem reperire unquam potui, qui vitia sua vellet agnoscere, forteque in corde sui ipsius accusator.
39. Confucii effatura: Quamvis in quovis vel minimo decem domorum pago facile sis reperturus tam sinceros & rectos quam ego sim; tam studiosos tamen discendi, quam ego, difficile reperies.

## ARTICULUS VI.

1. **C**onfucii effatum: Discipulus meus *Gen kieu* est sanè dignus sedili ad Austrum vergente. (Regis thronus apud Sinas ex more ad Austrum vergit; uti & Magistratum tribunalia.)
2. Cùm iste *Gen kieu*, (*Chun kum* erat cognomentum) rescivisset, quid de se dixisset Confucius; posteà interrogavit, quid etiam sentiret de quodam tunc celebri viro ejusdem Regni *Lu* incola, dicto *sam pe*, quem rebatur quasi sui similem? sic illi Confucius: Et hic, inquit, ad magna aptus est; est enim minutiarum osor, nec fastidiosus.
3. Sed enim, reponit *Chun kum*; minutiarum osor est duplicitis generis; aliis ex aequo, aliis plus aequo. Qui sibi & suo officio diligenter vacat, nec se immiscet variis reculis ad populi sui regumen non spectantibus, numquid

- quid hic ex aequo verè est minutiarum osor? Qui autem sibi & suo officio permodicè vacat, & in rebus ad sui populi regiūmen spectantibus permodicè se applicat; numquid hic plus aequo verè est minutiarum osor?
4. Mox illi Confucius: Ita, inquit, revera est, charissime Gen pms.
5. Regni L<sup>a</sup> Regulus Ngai kum quæsūit ex Confucio, quisnam inter omnes ejus Discipulos verus esset discendi amator? Cui Confucius: Meus, inquit, Discipulus Yen boei, planè erat verus discendi amator; si aliorum vitia, aut alia causa ad iram eum excitabant, mox conceptum iræ impetum in animo comprimebat, nec illam ex uno in aliud transferebat. Deinde si fortè accidebat, ut leviter peccasset: illicò resipiscens, nunquam in eamdem culpam iteratò incidebat. Sed proh dolor! transactis paucis brevis vitæ annis; præcoci morte nobis ereptus est. Nunc, qui sit verè discendi amator, omnino novi neminem.
6. Confucius suum Discipulum Kum si che, (cognomento Tsu ba) in Regnum Cy miserat. Ejus Condiscipulus Gen yeu veritus, nè mater absente filio penuriaz aliquid pateretur, rogavit Confucium, ut illi milium ad vitam sustentandam erogaret. Annuit Confucius, sed unum dumtaxat su, id est, dimidiam unius modii partem & paulò plus, erogavit. Sciebat enim illam esse divitem, nec hac stipe egere; sed cùm id ignoraret Gen yeu, ratus hanc stipem esse nimis parvam, alteram postulavit. Rursus annuit Confucius, sed unum dumtaxat su, id est, modium unum & unius modii sex decimas partes erogavit. Tum Gen yeu iterum ratus hanc esse nimis parvam, ipsemet è suo erogavit quinque Pim, id est, octo milii modios. (Unum enim Pim est unus modius & sex decimæ ejus partes.)
7. Quo comperto Confucius, ait illi: Dum Discipulus Kum si che in Regnum Cy profectus est, opulento vectum equo, & levibus pellibus pretiosè indulsum vidi, adeoque nec domi pauperem credidi. Jam verò semper ego audivi hoc Proverbium: *Vir sapiens subsidium affert pauperi, divitias non addit diviti.*
8. Alias Confucius, dum in sua Patria L<sup>a</sup> supremum ageret publici æxarii & justitiaz Præsidem, Discipulo suo Tuen su, qui tunc alicui oppido Præfetus erat, dedit 900. milii mensuras pro annuo dignitatis stipendio; sed cùm eas accipere recusaret, utpote assuetus parcimoniaz & parco victui:
9. Non ita, reponit Confucius: ista enim annua dignitatis pensio, est Regni legibus præscripta, adeoque pro lubitu recusari non debet. Si quid autem ubi superfluum fuerit, numquid potes tuz vicinitati (Sinicè Lin, sunt-

Suntque quinque domos) vel tuo vico; (Sinice *Li*, suntque 25. domus) vel tuo oppido, (Sinice *Tam*, suntque 500. domus) vel tuæ Parisæ, (Sinice *Hiam*, suntque 1250. domus) illud erogare?

Hic notat Interpres quatuor vitia dandi & accipiendi, quæ vitanda censebat Confucius; scilicet, dum decet dare, tunc non dare, est avaritia. Dum dedecet dare, tunc dare, est prodigalitas. Dum decet accipere, tunc recusare, est agendi similitas. Dum decet accipere, tunc non recusare, est habendi cupiditas.

10. Olim imperante Familia *Cheu*, bos aut vitulus rubri omnino coloris, & rectissima habens cornua, plurimi aestimabatur, & in ceremonialibus festivitatibus adhiberi solebat. Diversicolor autem ab illis arcebatur, ut pote qui vilis haberetur. Jam verò præclarus Discipulus *Gen yum*, (cognomento *Chum yum*) quia ortus erat ex patre vili & rudi, ideo quidam minoris eum faciendum, & à Magistratu arcendum contendebant. Hinc allegoricè de illo agens Confucius, sic ait: Quamvis bos diversicolor parvi fiat, & à ceremonialibus Cyritibus arceatur: ejus tamen filius rubro omnino colore, & rectissima habens cornua, optimè admittitur. Si quis ergo fortè velit, eò quod diversi coloris parentis filius sit, ut respuatur; an ideo putas à montium & fluminum Spiritibus, si illis oblatus fuerit, respuendum?

11. Confucii effatum: Meus ille Discipulus *Ren boei* ita constans in sequenda pietate erat, ut ab illa nè vel latum unguem intra tres menses recederet. Ceteri autem Discipuli, alii uno die, alii uno mense illam quidem sequuntur, sed statim desistunt, & in pristina virtus relabuntur.

12. Primarius Regni *Lu* Præfектus *Ki kam* petiit à Confucio, num ejus Discipulus *Chum yeu* ad aliquod altius munus aptus foret? Cui Confucius: *Chum yeu*, vir fortis & promptus est; ecquid difficultatis in hoc pati posset? Rursus petiit, num aliis ejus Discipulus *Su* etiam aptus foret? Cui Confucius: Discipulus *Sa*, vir ingeniosus & perpicax est; ecquid difficultatis in hoc pati posset? Denique petiit, num etiam *Gen kieu* alias ejus Discipulus aptus foret? Cui iterum Confucius: *Gen kieu*, vir industrius & solers est; ecquid difficultatis in hoc pati posset?

13. Primarius Regni *Lu* Præfектus *Ki*, Confucii Discipulum *Mim tsu kien* jusserrat acciri ad se, urbi suæ *Pi* præficiendum Gubernatorem; sed *Mim tsu kien* qui arroganter illum Præfectum fastidiebat, respondit Nuncio: Tu bonus verbis Magistratum illum meo nomine recusa; si non acquiescat, ali-

tumque hac super se ad me exortacionem; ego coaffectio in boreales ilias nostri Regni La partes, quas fluvius Yen præterfluit, extra illius dictioris terminos recedam.

14. Olim dum quis ægrotabat, solebat decumbere ad borealem fenestram; si autem Regulus aut Vir princeps ægrum invisebat, mox lectus transferebatur ad Australem, ut hospes alloquendo decumbentem, obverteret faciem ad Austrum. Urbanitatis enim lex est apud Sinas, ut Regulus aut Vir princeps, dum aliquem invisi, sedendo Austrum respiciat. Ægrotabat autem quidam Confucii Discipulus, dictus Gen kies, cognomen pro Pe nien, quem cum invisi vellet Confucius, mox suum lectum è boreali in australem cubiculi partem transferri jussit. Id honoris refugiens Confucius, intrare noluit; sed ex inferiori fenestra accipiens ægri manum, cognitaque gravissima morbi vi ingemiscens: heu! inquit, actum est. Sed quid queror? ea est Cæli jussio. Proh dolor! talisne morbus hunc virum invalit? talisne, inquam, morbus hunc virum invalit? nempe lepra.

15. Confucii effatum: Proh quantâ eminebat sapientia meus ille Tse hoei! cum enim aliquando ita ad extremam paupertatem redactus fuisset, ut nihil in cibum præter vilem oryza scutellam, nihil in potum præter agrestem aqua cucurbitam haberet; cumque in tam miserabili urbis vicô moraretur, ut nihil illo desertius esset; denique cum in eo statu versaretur, ut quivis alter, si ejusmodi ærumnas passus fuisset, dolori impat succubisset; ille tamen nunquam visus est inter tantas calamitates, cordis lætitiam, frontisque serenitatem immutasse. Proh! quam verè sapiens meus ille Tse hoei! quam verè sapiens.

16. Cum has Condiscipuli laudes audiisset Discipulus Gen kies, non nihil descs, ut suam pigritiam purgaret, sic elocutus est: Ego quidem, Magister, tuâ præclarissimâ doctrinâ vehementer delector; sed ad eam opere complendam vires non supperunt. Cui mox Confucius: illi, inquit, dicuntur vires non supperere, dum totis & corporis & animi viribus exhaustis, tandem labori succumbens, in media deficit via. Tu vero laborem vel minimum subire renuis, instar viatoris, qui quamvis possit, non vult tamen inceptum iter progredi; sed ulcò in terra signat sibi sustendi terminum.

17. Confucius ad instruendum Discipulum suum Tse his sic ait: Litterati, alii sunt viri, alii homunculi; viri student, ut sciante, non ut sciantur; ut virtutem

tūtē consequantur; non ut virtutē prædicti dicantur. Homunculi studēt, non ut sciant, sed ut sciantur; non ut virtutis veritatem consequantur, sed ut virtutis nomen aucupentur. Tu ergo non, ut homunculus insipiens, sed ut vir sapiens, contare esse litteratus.

18 Confucii Discipulus *Ten yen*, cognomento *Tsü yen*, in oppido *Yü ching* Præfectum agebat. Hunc interrogans Confucius: habesne, inquit, in tuo oppido viros, qui morum exemplo, vita integritate, doctrinæ sapientiā, ceteros antecellunt? Habet, inquit, quemdam cognomento *Tan tsay*, nomine *Mie mihi*, præstantissimum sanè virum. Hic in tractandis negotiis non sequitur compendiosos illos calles, quos viri præcipites, relictā regiā viā, sequi amant. Deinde nisi occurrat opus publicum, non sollet domum meam venire; adeò est sui custos.

19. Confucius laudaturus singularem celebris in Regno *Lu* Præfeti *Mem chi* fax modestiam, sic ait: Magnanimus ille Dux *Mem chi* suarum laudum mirum in modum erat abstemius. Cùm omnes nostri milites in famoso illo certamine adversùs Regnum *Cy* commisso, profligati aufugerent; ille in posteriori acie fortiter dimicans, adeò firmiter hosti restitit, ut omnium ultimus ē pugna discederet. Jam autem ingressurus Patriæ lithites, stimulo equum flagellans, ad spectantes, qui numerosi aderant, aiebat: Non quod ego diutius hosti resistere ausus fuerim, sic tardu à tiro sequor; sed aeger equus tardigradè incidit.

20. Confucius deplorans depravatos sui temporis mores, sic aiebat: Nunc si quis vel blandientem Præfeti *Cho* re eloquentiam, vel suavem Principiis *Chao*, patre Regni *Sam* Regulo nati venustatem non habuerit; stolida hominum odia & despectus difficulter evadere poterit.

21. Confucii effatum: Ecquis foras egressurus per portam non exit? Ecce ergo quoad rectam vivendi viam, non exēunt homines per hanc rectæ rationis portam?

22. Cùm tempore Confucii antiqua illa aureæ ætatis mediocritas jam periisse, & vanus tantum externæ honestatis fūcus passim regnaret; ideo in hac verba erupit: Nunc si in aliquo viro internus animi candor excedat externalm morum honestatem, mox vocatur agrestis; contrà si externa morum honestas excedat internum animi candorem, mox vocatur histricus. Oportet ergo, ut & internus animi candor & externa morum honestas æquali passo incedant, tunc verè vocabitur sapiens.

23. Confucii effatum: Nullus est homo vivens, qui recta ratione ad recte

- vivendum non sit donatus; dum quis ergo visit hanc conseruando, mors, quam meretur, verè ei condonatur.
24. Confucii effatum: Qui viam sapientiae tantam novit, certè non æquatur ei, qui illam insuper diligit; & qui illam tantum diligit, non æquatur ei, qui illam insuper delectatur, nimisrum operando.
25. Confucii effatum: Qui & animi indole, & ingenii acutine mediocritatem superant, iis possunt tradi altiora sapientiae præcepta; sed qui mediocritatem non attingunt, iis tradi non possunt.
26. Discipulus *Fan chi* Confucium interrogavit, ecquis posset dici vir prudens? Respondit Confucius: Qui debito hominis officio explendo diligenter vacat, & in Spirituum cultu, procul à se abstrusas speculationes, quæ suum captum superant, amoveret, hic potest dici prudens. Vir autem pius, idem interrogat, ecquis? Qui, inquit, virtutis laborem superare, primo: & virtutis effectum ad ipsi, postremo loco ponit, hic potest dici vir pius.
27. Confucii effatum: Viri docti, aquis; pii, montibus delectantur. Viri enim docti instar aquæ sunt semper in motu: viri pii instar montis sunt semper in quiete. Viri docti, utpote ab ignorantia tenebris liberi, latam; viri pii, utpote ab intestinis passionum tumultibus immunes, longam ducunt vitam.
28. Postquam Familia *Chen* Imperium obtinuit, Imperatoris *Yen* duo fratres natu minores *Chen kum* & *Tay kum*, creati sunt Reguli; *Chen kum* in Regno *Lü*, *Tay kum* in Regno *Cy*; ambo suum Regnum ad fratribus exemplum optimis legibus, disciplinis, moribus instruxerunt. Ex quo autem Regni *Cy* Regulus *Yen kum* sese omnium Regulorum caput constituit, omnia ibi in deterius prolabi, Conditorisque *Tay kum* transmissum regimen: prorsus interire cœpit. Regnum vero *Lü* adhuc utcumque primævum suum conservabat vigorem; ideo Confucius sic elocutus est: Quamvis Regnum Cy collapsum suum regimen nunc restaurare velit; vix tamen posset existentem Regni nostri Lü languorem adæquare; si autem nostrum Regnum Lü sese renovare veller, primævum sui Conditoris vigorem etiamnum posset recuperare.
29. Olim cum nullus esset papyri usus, dolabant quadratas tabulas ligneas, in quibus litteras sculpebant, & Annales scribebant. Quia autem quadratae erant, vocabantur quadra. Hinc Confucius suspirans plures vacuum nomina sine re habere, sic ait: Litteraria quadra, si quadrati non fuerint,

... facias, quomodo sanè possunt dici quadra? quomodo, inquam, possunt dici quadra?

30. Discipulus *Ts'ui* *ngo*. Confucium sic interrogavit: Pii, est alteri adesse. Sed ecce nuntiatum viro pio alterum in puteum lapsum: ille ut properè lapsus adsit, debetne in puto se precipitem dare? Si enim non adsit, cetera alterum immisericors; si adsit, cetera se homicida. Quid ita, reponit Confucius? vir pius debet properè ad puto ostium advolare, ut lapsus succurrat; non in puto profundum ruere, ut se demergat. Mortuus enim qui possit morienti adesse? Vir pius potest decipi ad credendum falsa, sed non ad agendum prava.

31. Confucii effatum: Sapientia Aluonius, qui vastè studium suum ad librorum Carminum, & Annalium Imperialium notitiam, atque ad sex artium exercitationem extendit: deinde hæc omnia juxta honestatis leges in agendo accuratè restringit, is potest acquirendæ perfectioni nil contrarium committere.

32. Confucius varias Chinæ Provincias peragrans, cum forte in Regnum *Guei* appulisset, Reguli *Liu* *Yen* uxori, dicta *Nan* *ts'u*, avida videndi Confucium, cuius virtutem jam saepius audierat, eum invitavit ad affatum. Quia autem ista mulier non ita bene audiebat, se ab ejus colloquio excusavit Confucius. Denique cum rursus invitaretur, & mos illuc esset, ut Regina quibusdam diebus à Praefectis inviseretur, ne ipse videretur contra observantie & urbanitatis leges peccare, eam invisendam censuit. Sed id vehementer displicuit ejus Discipulo *Tsu* *lu*; cui Confucius, interposito juramento: Si ego, inquit, hac in re quidquam egi, quod honestas & ratio non exigebat, Cælum me respuat; Cælum, inquam, me respuat.

33. Confucii effatum: Immutabile virtutis Medium, numquid sanè est summa virtute perfectio? Sed jam pridem pauci illud assequuntur.

34. Discipulus *Ts'u* *kum* Confucium sic interrogavit: Si quis erga omnes Imperii populos sit munificus, & quod unicuique competit, diligenter provideat, quid? Potestne hic dici vir pius? Cui Confucius: Quid hoc, inquit, tantillum ad vastum pietatis munus? Nonne ad hoc opus est viro absolutissimâ & scientiâ & virtute praedito? Imò verò antiqui illi Imperatores *Iao* & *Xun*, qui adeò præcellentî & scientiâ & virtute claruerant, sibi adhuc videbantur aliquam hac in re pati animi ægritudinem.

35. Verus pietatis cultor, ut se ipsum, sic alios omnes perficere amat; utque

optat ipse cognoscere; sic, ut alii omnes veram virtutis viam cognoscant,  
exoptat.

36. Denique qui non procul ex aliis, sed propè ex se ipso illos metiri novit,  
hic potest dici veram pietatis normam tenere.

## ARTICULUS VII.

1. Confucius agens de variis suis elucubrationibus sic demissè aiebat: C Ego refero Priscorum doctrinam, non hanc ego inventi; Priscorum enim doctrinæ & multum fidei do, & multum eam delector. Atque in hoc dilectissimum nostrum Lao pum, olim imperante Familia Kien primum Praefectum, ego imitor.
2. Confucii effatum: Sapientis virtutes haec sunt: in silentio, audita vel lecta recolere; in studio, ratiōnē non tenere; in magisterio, laſtitudinem non admittere. Sed quā possim ego has in me transformare.
3. Confucii effatum: Quatuor sunt, quæ me indesinenter angunt: 1. Quod in virtutis via non satis proficiam. 2. Quod in litterarum studiis non satis inc exerceam. 3. Quod ad æquitatis officia non me fortiter transferam. 4. Quod ad vitorum meorum emendationem non me acriter urgeam.
4. Confucius, ut referunt ejus Discipuli, dum liber à negotiis domi privatim ageret, liberaliorem solito corporis speciem, alacriorēque frontis serenitatem, remissa paulisper gravitatem, præferebat.
5. Confucius jam senio gravis, suspirans aiebat: Profecto nunc multum sensco; jam à multo tempore non amplius in somnis video Principem nostrum Cheu kum. (Confucius eum imitari ita ardebat, ut diu nocturne illum cogitaret.)
6. Confucii effatum: Sapientia Alumnus debet priuò unam rectam rationem spectare; deinde virtutem firmiter apprehendere; postea à pieate seu cordis rectitudine, omnium virtutum basi, nunquam recedere; denique si quid otii superest, in addiscendis Rituum, Musicæ, jaculandi, avigandi, scribendi, numerandi sex artibus tempus impendere.
7. Olim, uti & nunc, mos erat apud Sinas, ut dum quis alium prima vice invisebat, munus aliquod offerret. Ideò Confucius sic aiebat: Quicunque ad me venit, licet exiguissimum exsiccare carnis fasciculum, pro matre afferat, nullus est tamen, quem lubentissime non instruo. (Hujusmodi

- modi fasciules continebat decem fractas canas , infimum scilicet manus , quod Discipuli dabant suis Magistris . )
8. Confucii effatum : Si quis ejus , quod nescit , non monstrat sciendi desiderium , illud ei non explicet ; vel si quis id , quod in corde scit , non conetur ore exprimere , illud ei non extrahe . Denique si quis ita crudis sit , ut dum ei explicet quadrati unum angulum , non valeat de reliquis tribus judicium ferre , istud cum non amplius doceo .
9. Dum Confucius monsa accumbebat apud aliquem veste funebri induutum , non poterat ad sapientatem edere ; præ intimo sci' icet commiserantis animi sepsu . Deinde rato illo die , quo ad aliquid funus iverat , à cantu abstinebat . Musicæ enim cantu solebat passum animum relaxare .
10. Confucius sic Discipulum suum *ren yuen* instruebat : Dum Rex alicujus operâ utitur ad regumen , debet hic publicam Regni utilitatem diligenter procurare ; dumq; non utitur , debet domi se quietè concinere , nec publicis rebus sese immiscere . Id perfectionis ego , & tu , saltē tenemus .
11. Cùm hæc Condiscipuli laudes audiisset *Tse Lü* , Vir bellator , sic interrogavit Confucium : Si tribus militaribus turmis Præceptor preficereris , eçquem belli socium eligeres ? (rebatur nempe se eligendum . Nota : una turma componebatur ex 12500. militibus ; Reguli tres , Imperator sex habere consueverat .) Sic illi respondit Confucius : Si quis temerè vollet nuda manu sine armis aggredi tygrim , vel nudis pedibus sine navi profundum fluvium trahicere ; aut , licet ante oculos imminens videret certæ mortis pericula , nolle tam illud præcavere , nec mortem fugere ; hujusmodi ego belli socium non eligerem . Oportet enim , dum gravia negotia occurruunt , se cautè ac timide gerere , libenterque consilium petere ; tunc quis optatum sortitur effectum .
12. Confucii effatum : Si divitiz humanis viribus queri possent , ego ad illas querendas , nè mulierem quidem agere detrectarem . Cùm verò sic queri non possint , pendeantque ab una Cæli providentia , uni ego secundæ rationi , qua multum delector , diligenter vaco .
13. Tria sunt , in quibus Confucius , ut referant ejus Discipuli , singularem cautelam adhibebat : in abstinentiis , in bellis , in morbis .
14. Confucius peragrans varias Chinæ Provincias , cùm forte in Regno Cy veraretur , audiuit ibi cantari Musicam , in laudem Imperatoris *Xun* olim compositam , dictam *Siao xao* . (vide suprà) Hujus suavitate ita captus est , ut totis tribus mensibus , quibus illam audiendo addidicit , ciborum sapores

pores nescire videretur; eaque absorptis in has subinde voces erumperant: Nunquam credidisse Musicae compositores ad hanc usque suavitatis perfectionem potuisse pertingere.

15. Regni Guei Regulus *Lim kum* graviter offensus fuerat à suo filio *Quay ray*, qui idcirco à paternâ Aulâ aufigit, & patrium solum vertit. Interim moritur Regulus *Lim kum*; cùmque abesset heres *Quay ray*, populus acclamavit in Regulum ejus filium, quem domi reliquerat, dictum *Che*. Tunc vero Regulus Regni *Cin*, id est Provinciae *Xan si*, ad quem conseruatur *Quay ray*, ejus patrocinium suscipit, fortique instructum exercitu in Patriam remittit. Hinc armorum dissensiones & partium factiones.

16. Cùm tunc ibi ageret Confucius, ejus Discipulus *Gen yeu* interrogans Condicipulum *Tsu lu*: Nostérne, inquit, Magister Principis *Che* partes sustinet? Cui *Tsu lu*: Jam jam, inquit, tibi satisfaciam. Vado obliquè inquisitorus.

Nota: Regni *Kou cho* Regulus habebat tres filios. Moriturus scripsit heredem filium tertio genitum *Xo cy*; hic *Xo cy* mortuo patre, noluit Regnum acceptare, causatus illud ad fratrem suum primo genitum *Pe y* devolvi; contrà huc *Pe y* opponens ultimam patris voluntatem, illud etiam recusabat; moxque profugit. Quoviso *Xo cy* fratrem secutus, etiam profugit; uterque sponte Regno cedens. Tum demum populus in Regulum acclamavit secundò genitum. Non multò post Regulus *Vu van*, aliis Regulis & Principibus adjutoribus, arma movit in Imperatorem *Cheu* tyrannicè imperantem. Uterque ille germanus forte occurrens huic Regulo *Vu van*, ut tacite videretur eum arguere, illius dimicatac equum supplex veneratus est. Denique extincto illo ultimo Familiae *Xan* Imperatore *Cheu*, hi duo fratres recusantes à successore *Vu van* alimenta accipere, se receperunt in montem *Xen Yam*, ubi miseriis & fame perierunt. Nunc ad textum redeo.

*Tsu lu* itaque domum ingressus, sic interrogat Confucium: Illi duo celeberrimi fratres *Pe y* & *Xo cy*, quales homines tibi, Praeceptor, videntur fuisse? Prisci Sapientes, reponit Confucius: Numquid, subiungit *Tsu lu*, dimisso Regno, illos posteà pœnituit? Cui Confucius: *Pe y*, inquit, ultimam patris voluntatem; *Xo cy*, sicuturale spectavit; atque adeò ille executus ultimam patris voluntatem, his secutus jus naturale, uterque pietatem, quam quererebat, obtinuit; quid ergo est, cur illos pœnituerit? Tum egressus *Tsu lu* ad Condicipulum *Gra yes* ait:

- Magister noster non stat à Principe Cbe ; quia nimis vidit illos fratres à Confucio laudari ob recusatum Regnum ; adeoque indirecte arguebat Principem Che , patris adhuc viventis Regnum acceptâsse.
17. Confucii effatum : Quamvis certè videar ad extremam pene paupertatem redactus ; quâ enim vescor escâ , est tantum vilissima oriza ; quem potum bibo , est tantum aqua ; cui incumbet cervicali , est tantum cubitus inflexus ; in medio tamen hujusmodi inopie , verum animi gaudium ac pacem reperio . Siquidem quod attinet ad illas opes & dignitates iniuriantes partas , ego eas specto tanquam nubes in aëre volantes .
18. Confucius jam senex sic aiebat : Si aliquot adhuc vitæ annos mihi Cælum commodârit ad profundam libri Re kym doctrinam totam penetrandam , spero fore ut omnem gravem culpam tunc evitare possim .
19. De quibus passim loquebatur Confucius , hæc erant : de libro Carminum , in quo virtutes laudantur , & vitia carpuntur : de libro Annalium Imperialium , in quo priscorum Imperatorum rectum ac pravum regement , ac utriusque dispar exitus refertur : de morum honestate , Urbanitatûmque ac Rituum legibus firmiter servandis , sive de libro Rituum , qui ista complectitur . Hæc tria erant quotidianus & consuetus ejus sermo .
20. Oppidi Xe Præfector interrogavit Discipulum Iſu Iu , quid censeret de suo Magistro Confucio ? Iſu Iu veritus , nè parùm dignam Confucii virtute & nomine daret responsionem , nihil illi respondit . Quo comperto Confucius : Cur tu , inquit , non illi dixisti ? noster ille Confucius , vir est , qui discere amat ; id quod nondum assecutus est , ita ardenter contendit addiscere , ut etiam victus obliviſcatur ; ubi vero assecutus est , ita eō delectatur , ut si quis mæror anteā animum vexabat , tunc non amplius ejus recordetur . Atque ita alternatim redeunte & diligentia & gaudio , jam jam ingruentem saeclutem non sentiu : hoc dixisse debueras .
21. Confucii effatum : Non ego sum , ut quidam putant , infusa scientia à natura donatus , ita ut ea , quæ scio , sine labore & studio assecutus fuerim ; sed magnus antiquitatis amator , omnes corporis & animi vires impendo in perscrutandis priscorum Sapientum tum dictis , tum gestis .
22. Quatuor erant , quæ vix loquebatur Confucius : Novitatum portenta , virium ostentationes , seditionum tumultus , Spirituum naturam .
23. Confucii effatum : Quamvis duo tantum comites & ego tertius , una iter agamus ; in illis tamen duobus , à quo instruar , invenio ; siquidem quod boni habent , mihi exercebo ; quod mali , in me emendo .

24. Confucium appulsum in Regnum suum, summus militiae Praefectus Von tui, è Reguli Von kum stirpe oriundus, nescio qua diffidentia aut odio, meditabatur interficere; unde ejus Discipulis magnus timor incessit, ad quos confirmandos sic ait Confucius: cùm non sine particulari consilio vitam ac facultatem rationalem mihi Cælum infuderit, quomodo mihi possit nocere, vitamque tollere ille Von tui? Ceterum, addit Interpres, nè temerè in periculum sese ultrò projicere videretur, illinc discessit.
25. Confucii Discipuli cùm viderent à Magistro, cuius vitam tot tantisque virtutibus ornatam admirabantur, vulgaria tantum sapientiae documenta sibi explanari, cœperunt suspicari sublimiora sibi abscondi: idcirco sic illos allocutus est Confucius: Parva Discipulorum turba, ecce arbitramini doctrinæ quidpiam à me vobis abscondi? nîl certè vobis abscondo; nihil enim agere, quod non videant mei Discipuli, iste est meus docendi modus.
26. Quæ docebat Confucius, præcipue erant hæc quatuor: litterarum exercitationes, virtutum praxis, animi candor, gestorum veritas.
27. Confucii effatum: Virum omnimoda tum virtute tum scientiâ absolutum nondum mihi videre licuit; liceret saltem videre singulari quadam tum virtute, tum scientiâ aliis omnibus eminentem! mihi hoc unum vel sic sat foret.  
Deinde pergit idem Confucius: Quin imò nec virum verè probum videre licuit; liceret saltem videre verè constantem! mihi hoc unum vel sic sat foret. Qui enim nîl habet, & tamen se multa habere simulat; qui vacuus est, & tamen vult videri plenus; qui inops est, & tamen vult videri dives, profectò quād difficile est, ut hujusmodi vir veram servet constantiam!
28. Confucius inopiâ laborans, aucupium & piscationem solebat exercere; sed vel in hoc quemdam pietatis sensum ostendebat: piscaturus enim, non vastum illud rete, quo pene omnes pisces concluduntur, adhibebat; sed arundine & hamo tantum utebatur; venaturus, longo serici filo sagittam stringebat ad jaculandas tantum aves volantes; quiescentes autem & incautas non impetebat.
29. Confucii effatum: Non possum ego agere, ut solent plerique, qui, quod nesciunt, temerè volunt agere. Ego autem multa audire soleo; tum meliora seligo & ago. Dein multa videre soleo; tum meliora fo- veo & recolo. Hic modus sciendi, secundum saltem locum tenere potest;

- est; primum enim tenet, qui à natura comparatus sine studio haberur.
30. In pago *Hu hian* mores incolarum ita erant perversi, ut verba ad eos facere de virtute difficile foret. Cùm autem quedam illius pagi Adolescentem admisisset ad colloquium Confucius, ejus Discipuli id admirati sunt, rati non esse admittendum unum ex iis, qui ab omnibus rejectabantur.
31. Quo comperto Confucius sic illos alloquitur: Cùm iste Adolescens ad me venerit ad descendam virtutis viam: rectam ego venientis mentem spectayi; reversus autem ad suos, quid postea sit facturus, non specto. Quare igitur venientem severè rejicere debuisse? qui prioris vita maculas exosus, venit ad descendam virtutem, novam ego ejus mentem acceptam habui; non tamen me facio sautorem eorum, quæ ille prius bene vel male gessit.
32. Confucii effatum: Plerique, utpote pietatem aversantes, procul à nobis eam abesse clamant; sed qui potest procul à nobis abesse, cùm eam solummodo optando, ad januam adstet?
33. Regni *Lu* Regulus *Chao kum*, contra leges & mores Sinicos matrimonio duxerat cognominem Principissam filiam Reguli Regni *Ou*, id est, Provincie *Kiam nan*, seu Nankinensis: hi enim duo Reguli habebant idem cognomen *Ki*. Regulus verò *Chao kum*, ut hoc dedecus tegeret, commutavit illius Principissæ cognomen *Ou mem ki* in *Ou mem tsu*. *Ou mem ki*, id est, filia primogenita Regni *Ou*, cognomine *Ki*; & *Ou mem tsu*, id est, filia primogenita Regni *Ou*, cognomine *Tsu*; *Tsu* enim erat cognomen Regni *Sun*. Hinc suminus justitiae Praeses *Chin* in Regno *Lu*, quæsūt ex Confucio, an Regulus *Chao kum* Rituum leges & honestatis officia calleret? Cui Confucius: Callet, inquit; (quia scilicet ille Regulus externa morum honestate enitebat; ideo laudavit quod in eo erat laudabile, supersedingendo loqui de eo, de quo aperte non interrogabatur.)
34. Cùm autem recessisset Confucius; fortè hic Praefectus *Chin* occurrit cuidam Confucii Discipulo cognominé *Vu ma*, cognomento *Ki*, comiterque salutatum, domum introduxit: tum ait: Ego semper audivi virum sapientem non esse addictum uni parti; nec ita alicui adulari, ut velit per fas & nefas ejus patrocinium sustinere. Dic, precor, potestne forsitan Sapiens uni parti esse addictus? ecce enim noster Princeps *Chao kum* contra leges Imperii *Chen*, & Rituum honestatem, duxit in matrimonium mulierem ejusdem cognominis ex Regno *Ou*; quia autem ejusdem cognominis,

- ideò commutavit ejus cognomen *ou men ki* in *ou men tsu*; jam vero Confucius asserit eum Rituum leges & honestatis officia callere. Certè si hic dici possit Rituum leges & honestatis officia callere, ecquis, quæso, non callebit?
35. Confestim Discipulus *yu ma ki* hæc verba Magistro Confucio retulit: Cui ille: Me sanè felicem! si forte in culpam incido, mox alii sciunt:
36. Confucius si bene canenti forte assideret, mox rogabat, ut cantum repeteret; quo concepto, unà concinebat, & vocem voci conjungebat.
37. Confucii effatum; Quoad eloquentiæ artem, ego æquè ac alii, eam forte calceo; sed implere omnes viri sapientis artes, illud est, quod nondum potui.
38. Confucius, cùm sciret se à multis vocari *Xim*, seu summa & virtute & scientiâ excellentem; & *Gin*, seu omnimoda cordis rectitudine præditum, sic ait: Quod spectat ad id *Xim*, & *Gin* nomen, quî ausim ego illud ferre? unum quod forte de me dici potest, est: Scientiæ & virtuti acquirendæ sine studio vaco; alios sine lassitudine doceo. Mox illi Discipulus *Kun si hoa*: Enimvero illud est utrumque, quod nos tui Discipuli consequi nequimus,
39. Confucius æger lecto decumbebat; Discipulus *Tsu lu* petiit, an veller, ut pro recuperanda ipsius sanitatem rogaret spiritus? Cui Confucius: Idnè ratio exigit? Exigit, reponit *Tsu lu*: In funebri enim oratione sic dicitur: *Rogate cœli terraque Spiritus*. Tum Confucius: Rogare, inquit, Spiritus, nihil est aliud, quam de suis culpis dolere, & precari sanitatem; sed cùm ego semper timuerim culpas committere, & Spiritus offendere, jam pridem illos rogâsse videor.
40. Confucii effatum: Quamvis qui prodigalitate peccat, ut plurimum evadat arrogans; & qui parcitare, vilis; si tamen hæc duo vitia inter se comparentur, præstat parcitate, quam prodigalitate peccare.
42. Confucii effatum: Vis virum ab homunculo discernere? vir, liberalem vultum & grandes Spiritus; homunculus, rugatam frontem & inquietum cor assidue gerit.
43. Confucius, ut referunt ejus Discipuli, comitatatem cum gravitate, severitatem cum benignitate, magnanimitatem cum modestia singulariter noverat conjungere.

## ARTICULUS VIII.

1. Regulus *Kou kum*, postea dictus *Tay ram*, genuit tres filios; primum *Tay pe*, secundum *Chum yum*, tertium *Ki lie*. Cùm autem meditaretur novum Imperium auspicari, videréque filii *Ki lie* filium, dictum *Cham*, postea *Ven ram*, ingenio, indole, virtute præcellere: ideo cogitavit sui Regni heredem scribere filium *Ki lie*, ut sic Regnum ad nepotem *Cham* devolveretur. Id ubi rescivit *Tay pe*, statim cum suo fratre *Chum yum* sponte Regno cedens, profugit in terram australē Provinciæ *Ha quam*, & pro fugæ prætextu finxit se velle illic medicas herbas quærere. Uterque postea pauperem illic vitam duxit. Itaque Princeps *Ki lie*, ac deinde ejus filius *Ven ram* in Regnum successit. Hic autem *Ven ram*, Patris & Avi vota, molimināque subsecutus, cœpit Imperialis Familiæ *Chen* fundamenta jacere, Monarchiāmque inchoare; siquidem ex tribus Imperii partibus obtinuit duas.

Confucius verò, cùm videret solūm hujus Principis *Ven ram* egregia facinora celebrati; & Principis *Tay pe* virtutem æterno silentio involvi, sic locutus est: Numquid reverà dici potest Principis *Tay pe* virtus, summum perfectionis culmen attigisse? Spem enim totius Imperii obtinendi adeò immota mente, & lubens abjecit, perinde ac si ter rogatus, oblatum Imperii sceptrum ter recusâisset; cùmque populi magnanimam illius mentem & consilium non penetrârint; ideo ejus nomen non sat, ut parerat, celebrârunt.

2. Confucii effatum: Vir immodicè reverens, fit molestus; immodicè cautus, fit timidus; immodicè fortis, fit turbulentus; immodicè rectus, fit præceps.

3. Dein sic pergit: Cùm Princeps sincera pietate Consanguineos diligit, mox populos ad eamdem pietatem exstimulat; cùmque de Regno optimè meritos senes, familiarésque amicos vel magistratu vel stipendio donat, mox populos ad mutuam benevolentiam allicit.

4. Cùm Magister *Tsem tsu* Confucii Discipulus gravi morbo periclitaretur, convocatos ad se suos Discipulos sic allocutus est: Filii est, membra à Parentibus accepta, conservare illæsa, nè probro Parentes afficiat, dum suis membris labem aut damnum infert. Aperite igitur hanc vestis oram, pedésque meos ac manus videte, quomodo sine ullo damno huc usque conservârim eâ cautelâ, quam liber Carminum tom. *Siao ya*, odâ *Siao mi* com-

- commendat his verbis : *Time, time; care, care instar viri appulsi ad profundae abyssi clevum, aut instar fragilem calcantis glaciem.* Nunc verò imposterūm hoc metu & periculo me liberum fore scio. Vos charissimi, idem cavete.
5. Cùm idem *Tsem tsu* gravissimè æger ad extrema dederetur, primarius *Regni & Praefectus Mem' kim tsu* eum invisit, & de morbo rogavit. Sic illi respondit *Tsem tsu*: *Quædam aves jam jam morituræ, vicinæ mortis instictu, lugubrem cantum edere consueverunt; homo jam jam moriturus, recte rationis ductu, sanos sermones effari solet.* Hæc ergo sana moribundi monita excipe :
6. Tria sunt, quæ sapiens Praefectus debet plurimi facere ; Primum : in gestu & & corporis motu fugiat omnem despectum & arrogantiam. Secundum : in componenda vultu specie prodat animi candorem ac sinceritatem. Tertium : in proferendis verbis evitet omnem abjectionem & turpitudinem. Quæ autem spectant ad ceremonialium Rituum vasæ seu cannea seu lignea, sunt, quibus hæc cura commissa est.
7. Discipulus *Tsem tsu*, sapientis Condiscipuli *Ren yuen* præmatura morte erupci memor, in ejus laudes erumpens sic aiebat : ubi sanè reperias doctrinam ab indocto, peritiorem ab imperitiore velle discere ? ubi reperias habentem instar non habentis, plenum instar vacui se velle gerere ? Ubi denique reperias injuriâ affectum, de vindicta non velle cogitare ? unum ego dumtaxat memini amantissimum Condiscipulum *Ren yuen*, olim in hoc studium assiduè incubuisse.
8. Confucii Discipuli *Tsem tsu* effatum : Cui non tantum alicujus pupilli tutela, (vocat pupillum, scilicet cubitorum puerum ; quia nempe cubiti Sinenses longè breviores olim erant, quam nunc) sed etiam defuncti Reguli Regnum 100. stadiis amplum committi potest ; quemque nec magnæ rerum vicissitudines, nec vitæ discrimina, nec difficillima negotia, ubi occurunt, à sequendæ æquitatis proposito vel minimum dimovere possunt ; numquid hic Sapiens verè dici potest ? Meo sanè judicio Sapientis nomine hic dignissimus existit.
9. Ejusdem *Tsem tsu* effatum : Sapientis Alumnus generoso & constanti animo præditus sit oportet ; nam & munus gerit gravissimum, & viam terit longissimam : Ejus munus omnem pietatis perfectionem, sive omnitudinem cordis rectitudinem complectitur ; numquid gravissimum ? Ejus via totum vitæ tempus amplectitur ; numquid longissima ?
10. Confucii effatum : Sapientis initium exurgit ex libro Carminata, quæ suo

- suo canto virtutis amorem , & vitii odium blandè instillant ; exercitatio consistit in libro Ritu , quibus docetur mores suos & vitam compонere ; perfectio sicut in Musica , quæ suavi vocum & instrumentorum concentu , passionum & animorum concordiam conciliat .
11. Confucii effatum : Potest quidem Princeps rudi plebi præcipere , ut id , quod rectum est , agat ; sed non potest præcipere , ut ejus , quod recte agit , rationem intelligat .
12. Confucii effatum : Dum vir fortitudinis amator suam paupertatem plus æquo abhorrescit , aut vir pietatis expers plus æquo abhorretur : ut plurimum & hic & ille turbas commovere solet .
13. Confucii effatum : Da mihi hominem & ingenio & industria ipsi Principi Cben kum parem ; si camen & superbus & avarus fuerit , nihil certè in eo laude dignum quoad reliqua video .
14. Confucii effatum : Qui tribus tantum annis absque Magistratus adipiscendi spe ac desiderio vacet sapientiae disciplinis , difficile sanè nunc quemquam reperies .
15. Confucii effatum : Sapientiae Alumnus , qui firmiter credit , is discere amat ; & ad perficiendam inceptam virtutis viam , nè vel ipsa mors potest eum à proposito dimovere . Si tamen appellat in Regnum periculis scatens , illud non intrat ; aut si in Regno tumultibus confuso degat , mox illo exit . Denique dum Imperium bono regimine viget , se prodit , & Magistratum capessit ; dum malo squallet , se abscondit , & privatus vivit .
16. Dum enim Regnum bono regimine viget , probosum est viro sapienti sine Magistratu pauperem & ingloriam vitam ducere ; contrà , dum malo squallet , ei in Magistratu divitem & illustrem vitam ducere , etiam probosum est .
17. Confucii effatum : Quæ ad suum non spectant officium , regere non querit Sapiens ,
18. Confucii effatum : Olim ex Regno Cy in Patriam redux , inquit Confucius , cum magnum Musicæ Præsidem Chi suum Magistratum auspicantem feliciter offendisse , communique conatu Musicæ leges emendassemus ; proh ! quam jucundum erat à principio odæ Quæ cix . (est initium primæ odæ libri Carminum ) ad ultimam usque ejus stropham audire musicum illum concentum plenè & copiosè fluentem , aurésque lenè impletentem ! Nunc verò , addit Interpres , ex quo ille Præses Chi abiit in Regnum Cy , aliique Musicæ Præfides ignari & incuria successorunt , non amplius datur id audire .
19. Con-

29. Confucii effatum: Indole simplices, & vita duplices; indole rudes, & vita incurios; indole stupidos, & vita fraudulentos, ego prorsus rejicio ac nescio; non sunt enim ii, qui possint instrui.
30. Confucii effatum: Sapiens ita semper debet discere, quasi nihil dū dicisset; imò debet semper reveri, nè, quod didicit, perdat.
31. Confucii effatum: Numquid profecto excelsissimæ mentis fuerunt sapientissimi illi Imperatores *Xun* & *Tu*, qui, cùm ab infimo gradu ad supremum Imperioriæ dignitatis culmen ascendissent, ita tamen alieni ab omni vana gloria & imperandi ambiu erant, ut viderentur possidere Imperium, quasi non possiderent?
32. Confucii effatum: Quàm profecto magnus Imperator Princeps *Tao* extitit! quod omnia & altitudine & magnitudine superat, unum est Cælum; & is, qui & animi magnitudine & mentis altitudine Cælo aquari potuit, unus est *Tao*. Siquidem immensa & excelsa ejus virtus ita singulariter per omne Imperium sepe diffudit, ut omnes populi perciperent quidem admirabilem illius effectum, sed non viderent reconditam illius causam; ideoque non invenerunt, quo nomine eam appellarent. Quod autem, addit Interpres, dici poterat, & omnium oculis patebat, hoc unum erat: totum Imperium admirabili tranquillitate, & omnes populi admirabili concordia vastissimè resplendebant; Leges, Ritus, Musica mirifice florebant.
33. Nullum olim, inquit Confucius, florentius, quàm Imperatoris *Xun* Imperium extitit; hic enim tantum s. Ministris usus, scilicet *Tu*, pro reprehendis inundationibus; *Cie*, pro dirigenda re agraria; *Sie*, pro tradenda morum disciplina; *Kao* *yao*, pro tenenda justitiae administratione; *Pi* *ye*, pro montium & lacuum custodia, universam Monarchiam mira cum laude ac splendore administravit. Post hoc nullum aliud florentius extitit, quàm Imperatoris *Vu* *vam*, qui dicere solebat: Ego ad administrandum Imperium decem Ministros habeo; numerum pro rebus externis ac civilibus, Cheu kant, Chao kum xe, Tay kum vam, Pie kum, Yum kum, Tay tien, Hum yao, San y sem, Nan kum quo; pro internis autem & domesticis, conjugem Ye kiam. Tum rursus Confucius: Prisci, inquit, solebant dicere: Virum ad regimen aptum, & industria predictum, quàm difficile est reperire! Numquid & nunc hoc ita se habet? Olim sub Imperatoribus *Tao* cognomento *Tam*, & *Xun* cognomento *Tu*, planè erat ætas aurea, florēnsque sèculum; & tamen tunc temporis recensentur tantum quinque Ministri sapientes; postea

postea imperante Wu-nam; virtus, artes, scientiae magis adhuc florabant; & tamen tunc temporis, praeter Imperatricem Te-hiam, recensentur tantum novem Ministri, sapientia & industria prastantes. Numquid sanè difficile est, viros industriam praeditos reperire?

24. Cùm Imperator Chen, ultimus Imperialis Familiae In, inhumaniter regnaret: populi ac Principes tumultuari, jugumque excutere cœperunt; jāmque ex tribus Imperii partibus duæ se subdebant Principi Chen, postea dicto Ven-yam, supremo Aulae totiusque Monarchie Ministro; sive ex 9. Provinciis, in quas tunc totum divisum erat Imperium, hæ sex, Kim, Leam, Yum, Tu, Sia, Yam acclamaturæ erant Principem Hæ nam in Imperatorem, nisi hic fortiter tumultus compescuisset, & oblatum Imperium recusasset; sola autem hæ tres Provinciae, Chia, Yen, Ki, stabant ab Imperatore Chen. Hinc Confucius extollens hujus Principis Hæ nam virtutem, sic ait: Cùm ex tribus Imperii partibus jam duæ se submitterent Familiae Chen, id est, Principi Ven-yam, ex Familia & Regno Chen oriundo: hujus fides & virtus in hoc maximè eluxit, quod vel tunc in obsequio Imperialis Familiae In, id est, Imperatoris Chen, firmiter persisteric. Certè hæc virtus potest dici supremum perfectionis apicem attigisse.

25. Confucii effatum: Quod verò ad Principem Tu attinet, nullum sanè nævum in eo ego invenio. Quamvis ipse potu & cibo uteretur parcissimo; in Ritibus tamen Spirituum ac Majorum defunctorum, magnificam filialis observantiae lauitiam adhibebat. Dein quamvis ipse rudi veste indueretur, in statis tamen solemnitatum ceremoniis, radianti purpura amictus, & gemmatâ coronâ redimitus, augustum Imperialis dignitatis decus prodebat. Denique quamvis ipse in vili palatio degeret, publicæ tamen commoditati, sive in coercendis inundationibus, sive in effodiendis canalibus ad derivandas tempore pluviaz, & ad sistendas tempore siccitatis aquas, indefessus incumbebat. In illo, inquam, Principe Tu nullum sanè nævum invenio.

## ARTICULUS IX.

- Confucius rarissimè de utilitate, utpote æquitati sepiùs nociva; de providentia, utpote recondita: & de pietate, utpote immensa, sermonem faciebat.
- Quidam incola pagi Te-hiam, singulare Confucii doctrina stupefactus, aiebat: Prob! quantâ ille Confucius excellit scientiâ! quo nomine cum appellem, nescio;

- nescio : nihil enim invenio , quod adaequatum illi nomen posse indere.
3. Quo comperto Confucius , sic ad suos Discipulos ait : Vir ille cùm querat , quo haec nomine appellare possit , utique vult , ut aliquam particulariem artem profitear . Ecquam igitur ex nostris sex artibus eligam ? artem aurigandi , an jaculandi ? artem aurigandi , utpote faciliorem , satis est arripere ; ut sic perfecti Rhedarii nomen consequar .
4. Confucii effaciam : Olim mos & Ritus erat , ut pileus ex tenuioribus subnigræ cannabis filis conficeretur : nunc autem ex rudiori serici contextu conficitur ; quia , dicunt , sic parcitur sumptibus . Cùm in hoc nihil contra æquitatem peccetur , ego multitudini me accommodo ; novamque Ritum sequor . Quod verò spectat ad aliun antiquum Ritum , qui præscribit , ut Præfectus invisens Regulum , non in ipsa Aula , sed inferius ad Aulæ gradus , debitam reverentiam capite in terram demissio exhibeat : cùmque nunc plerique non servato hoc Ritum , superius in ipsa Aula reverentiam exhibere Principi soleant , quod quædam superbiz & audacie nota est ; ego hac in re , quamvis multitudini adverser , sequor antiquum Ritum , & inferius ad Aulæ gradus reverentiam exhibeo .
5. Hæc quatuor à se Confucius omnino proscripterat : rei facienda suam voluntatem & necessitatem ; rei factæ obstinationem & suam uilitatem .
6. Quidam turbulentus in Regno La Subprefectus , dictus *Xam hu* , omnibus fuldeque evertebat , finitimique loci *Quam* incolas graviter divexarat ; ideo hi vehementer cum oderant . Accidit autem , ut Confucius Discipulis comitantibus proficisciens in Regnum Chin , per istam terram *Quam* transiret . Hujus incolæ conspicati Confucium , mox ob quamdam utriusque vultus & habitus similitudinem , ipsum esse *Xam hu* crediderunt , statimque arma capere , atque ipsum persequi cœperunt . Confucius cùm in isto periculo versaretur , sic tremefactos suos Discipulos allocutus est : Illa priscorum Sapientum scientia , qua olim Princeps *Veniam* floruit , numquid illo extinto hic in me relicta est ? Jain verò si Cælum voluisse illam interire , non eam mihi posteà morituro donasset . Quare si Cælum nolit illam scientiam interire , quomodo illi loci *Quam* incolæ virtus meæ nocere possunt ?
7. Supremus Regni On Minister sic Confucii Discipulum *Tsu kum* interrogavit : Numquid Magister vester reverè dici potest *Xam* , seu excellens vel sapiens ? alioquin quomodo tot tantæque artium & scientiarum facultates in eo clucere possent ?

8. Cui Discipulus *Tsu. kym*: *Xiiii*, seu excellentia vel sapientia, inquit, non in scientia, sed in virtute maxime consistit; jam vero Cælum adeo profusa liberalitate Magistrum nostrum cumulavit, ut præter illas omnis generis artes & scientias, quibus excellit, insuper omnium virtutum exemplar efficer voluerit.
9. Quo cognito Confucius sic dixit: Satine novit regius ille Minister, unde ego istam multarum artium & scientiarum notitiam hauserim? ego cùm in pueritia & adolescentia humilem vitam duxerim officio immunitus, tunc potui pro libitu multis artibus & scientiis animum applicare. Sed an fortasse, ut aliquis sit & dicatur Sapiens, multarum artium & scientiarum notitia in eo requiritur? minimè sanè.
10. Discipulus *Kin lao*, cognomento *Tsu chen*, referebat Magistrum Confucium dicere solitum: Ego cùm junior essem, ad nullum Magistratum promotus, potui tunc varias artes & scientias addiscere.
11. Confucii effatum: Sunt quidam, qui me multa scire dicunt; ast ego nihil sanè scio. Si quis fortè rudis homuncio aliquod sapientiæ præceptum me roget, ego illi principium & finem expono, totamque rem exhaudio; atque id unum est, quod scio.
12. Olim, ut referunt Sinæ, imperante *Xiv*, visa est aquila supra Imperialis palacii fastigium; deinde regnante *Yen wan*, rursus audita est cantare in monte *Ki*, natali hujus Principis solo. Insuper dicunt, vel potius fabulantur, Sunicæ Monarchiæ Conditorem *Fo bi* vidisse è croceo fluvio egredi equinum draconem, qui mappam in dorso gestabat, & in mappa ss. notas, seu ss. puncta partim alba, partim nigra; hincque commentum esse illas octo figuræ ænigmatisæ seu symbola libri *Te kym*, dicta *Pa qua*. Olim igitur hæc duo, nempe aquilæ adventum, & monstrosæ illius mapæ conspectum, inter fausta florentis sæculi omina, bonique regiminis signa recensebant Sinæ. Ideo Confucius cùm ob depravatos sui temporis mores & malum Imperii regimen videret suam doctrinam non recipi, sic gemebundus aiebat: Perière tandem antiqua illa felicis & sæculi & imperii indicia; aquila sub his Principibus non amplius venit; nec è croceo fluvio rursus emergere mappa cernitur; nimis irū de mea doctrina actū est.
13. Confucius videns aliquem vel lugubri veste indutum, vel senatorio pileo ac toga rectum, vel oculis orbatum, si fortè sedebat, mox illi venerabundus assurgebat; aut si fortè ante eum transibat, mox gressum, honoris ergo, accelerabat.

14. Confucii Discipulus Tzu yen, whom suspiranti similis, sic exclamat : Proh ! quām sublimis ! quām solida ! quām subtilis est illa Magistri nostri doctrina ! quondam in principio suspiciens illius sublimitatem, rebar me posse ad illam utcumque pertingere ; sed nunc quō magis videor ascēdere, cō semper sublimior mihi illa videtur esse. Deinde inspiciens illius soliditatem, rebar me posse illam utcumque penetrare. Sed nunc quō magis eam penetrare contendō, cō semper mihi impenetrabilior videtur. Denique medieans illius subtilitatem, rebar me posse illam, quasi ante oculos obversantem, apprehendere ; & ecce subito quasi ē manibus elapsam, longe à tergo eam relictam, vacuuus ipse, prospicio.
15. Deinde sic pergit : Sed quamvis Magister noster adeò sublimem, solidam, subtilem doctrinam tradat ; apto tamen illo ordine, quem in docendo tenet, singularem habet dexteritatem ad excitandos Discipulos. In rebus enim, quæ ad speculationem spectant, nos per omnia naturæ arcaña, pérque omnes temporum historias vastè deducit ; in rebus, quæ ad praxim tendunt, cohibendi appetitum, colligendi animum, comprehendendi exteriorem corporis formam, servandi Rituum leges, nos comprehendiosam artem docet.
16. Denique ad aspectum istius scientia, licet velim cursum sistere, non tam possum ; adeò ejus suavitas & pulchritudo me allicit. Sed cùm omnes vires & industria exhausi ad eam penetrandam, cùmque videre jam videor ante oculos adstantem, quamvis tunc ardeam præunte sequi, non datur tamen modus.
17. Cùm graviter Confucius æger esset, veteranus ejus Discipulus Tzu lu delegavit aliquos ex suis Discipulis, qui in ægri domo, Subpræfectos & Aulicos agerent. (Olim raus erat, ut primarii Præfecti domi haberent quosdū Subpræfectos & Aulicos, qui viventis Heri domum, & defuncti funus curarent. Cùm verò Confucius Magistratum tunc non gereret, non decebat hujusmodi Subpræfectos & Aulicos habere.)
18. Ideò cùm paulò melius habere cœpisset, idque rescivisset, (prius enim ob vim morbi nesciverat) mox arguens ipsum Discipulum Tzu lu, sic ait : Discipulum meum Tzu, id est, Tzu lu, solere fucum agere iam pridem novi. Ex quo Magistratum non gero, omnes sciunt domi Subpræfectos & Aulicos mihi non esse ; itaque cùm mihi non sint, nec esse debeant, ecquem igitur vult ille, ut decipiam ? vultne forsan, ut Cælum decipiam ?
19. Deinde numquid potius præstat tranquillè inter paucorū mēorū Discipulorum

19. Ioram manus, servando honestatis leges, quam inquiete in ementitorum  
Subpræfectorum & Aulicorum corona peccando contra Ritus, vitam fi-  
nire? sed esto; carendo illa nobili Subpræfectorum & Aulicorum turba,  
non possum obtinere magnificos funebris pompæ & sepulturæ apparatus;  
an forsan mei Discipuli me mortuum, instar cuiusdam homunculi, juxta  
viam projici sinent, & tumulo carere?
20. Confucii Discipulus *Tsu* cum videns Magistrum suum tanta virtute & Sci-  
entiâ excellere, nec tamen Magistratum querere, sic cum allegoricè in-  
terrogavit: *Est* vir, qui speciosissimum onychem possidet; debetne cum  
in arca repositum servare, & hominum oculis abscondere? an potius ju-  
stum ejus pretium querere, ac vendere? *Enimvero*, reponit Confucius:  
ecce, quæso, non debeat eum vendere? cur, inquam, non debeat vende-  
re? ast ego priusquam cum venderem, sponte advenientem emptorem,  
qui justum ejus pretium offerret, expectarem; nimirum merces obtrusæ  
vilescunt.
21. Confucius frustrâ peragratâ variis Chinæ Provinciis ad propagandam  
suam doctrinam, tandem cogitavit in orientales partes, ubi novem di-  
versæ habitabant nationes, proficiisci, illâcque exul degere. Fortè qui-  
dam hujus consilii novitate attonitus, sic eum interrogavit: terra ista est  
viliissima, illarumque gentium mores inculti; qui, quæso, illuc habitare  
possis? Cui Confucius: Si Sapiens, inquit, illuc habitârit, istâque  
gentes rectam vivendi ac regendi normam docuerit, qui tunc possit ter-  
ra illa vilis esse?
22. Confucii effatum. Ex quo è Regno *Gwei* in Patriam *Liu* redux, Musicæ  
leges reformavi; tunc recta Musica, quæ in libro *Carminalium* tom. *Siau ja*  
pro hospitum conviviis, & tom. *Tsja* pro Regia Aulæ ceremoniis, quæ-  
que in tribus capitibus dictis *Chœu tsum*, *Liu tsum*, *Xan tsum*, pro defun-  
ctorum Principum parentationibus continetur, suam tandem venusta-  
tem habere cœpit.
23. Confucii effatum: Foris revereri Regem & Proceres, domi obsequi Pa-  
rentibus & Fratribus, in funeribus omni cum diligentia servare Ritus, in  
conviviis vitare ebrietatem, quamvis hæc sint vulgaria officia, eorum ta-  
men perfectionem quâ in me reperias?
24. Cum fortè ad fluminis ripam adstaret Confucius, sic effatus est: Quem-  
admodum ista aqua assidue defluit, ita res humanæ assiduo motu decur-  
sunt, nec diu nec noctu turgum suum abrumpan.

25. Confucii effatum: *Qui ita ardenter amaret virtutem, uti quis ardenter amat libidinem, nondum ego vidi hominem.*
26. Confucii effatum: *In sapientiae studio vel proficere, vel deficere, id penes nos est: v. gr. postquam ego longo labore, ex sapientia decem partibus, jam novem comparavi; si subito oborta socordia desistam & opus abjiciam, utique ero similis viro, terrenum aggerem exstrueri, qui postquam eum jam pene ad debitam altitudinem evexit, ita ut tantum unus terræ cophinus desit, mox animum abjicit & opus sustinet. Quod hic opus sustinet, id oritur ex sola ejus voluntate. Ita, quod ego ab incepta virtutis via desistam, id ex me tantum oritur. Contrà, si in principio firmiter statuam, arduam licet, virtutis viam aggredi ac perficere, nulla laboris difficultate retardatus, tunc ero similis viro, in plano campo altum aggerem exstruere volenti, qui eti unum dumtaxat terræ cophinum vix bene congeffserit, nî tamen desperans, aut animos desppondens, acriter opus prosequitur ac perficit. Quod autem hic opus prosequatur ac perficiat, id ex una ejus voluntate proficiscitur; ita, quod ego vix bene incepsum virtutis iter fortiter prosequar ac perficiam, id etiam ex me solo oritur.*
27. Confucii effatum: *In addiscenda, quam trado, sapientiae doctrina, Discipulorum omnium diligentissimus, numquid olim fuit meus ille charissimus Hoc? sive Yen yuen.*
28. Iterum Confucius memor hujus Discipuli Yen yuen, præcoce morte crepti, ingemiscens aiebat: *Eheu! proh dolor! ego cum semper progredi, nunquam vel minimum sistere aut torpere vidi.*
29. Confucii effatum: *Orizæ culni, alii quidem exoriuntur, sed non pandunt flores; alii pandunt flores, sed non producunt fructus. Ita mundorum litterarum Alumni.*
30. Confucii effatum: *Non tantum senes, sed etiam adolescentes verendi sunt. Qui enim possum scire, utrum ille adolescens volventibus annis non futurus sit & virtute & scientia præstantior, quā nunc ego sum? Si quis tamē 40. aut 50. aetatis annum prætergressus, nullā adhuc virtutis aut scientia famā clareat, hic nullā reverentiā dignus est. Si enī, addit Interpres, dum vires vigebant, nihil profecit; quanto minus proficit, dum senio languesceret.*
31. Confucii effatum: *Si quis peccantem videns, apertis eum verbis amicè admoneat; potestne hic mōpencem non audire? sed quod maximè in hoc spe-*

spectare oportet, est, ut admonitus se corrigat. Deinde si quis non apertis, sed occultis verbis per ambages peccantem prudenter admoneat; potestne hic non gaudere? Sed quod in hoc maximè spectare oportet, est, ut admonitus occulta monita percipiat ac sequatur. Si enim occulte inonius tantum gaudeat, nec occulta monita percipiat, aut non sequatur; si aperte monitus tantum modestem audiat, nec se corrigat; ad quid sanè hujusmodi monita prosint, non video.

32. Confucii effatum: Sapientiae Alumnus animi candorem & veritatem imprimis colat. Dein quoad socios, eos tantum, qui sibi præcellant, aut sibi æquales sint, frequenter. Denique cum quis sine culpa vivere non possit, sua vitia assidue corrigere, non illum rædeat.

33. Confucii effatum: Etsi quivis trium turmarum duxtor domari possit, nullius tamen militis mens potest domari.

34. Confucios laudatus Discipulum suum *Chu Boi*, cognomento *Tsu Lu*, sic ait: Qui vili amictus lago, non erubescit coram aliis pretiosas vulpium & mustelarum seu animalculorum orientalium *Hopelles* superbe indutis adstare, amon meus charissimus *Chu Boi*?

35. In libro Carminum tom. *Que sum*, odâ *Hium chi* dicitur: *Vir invidus & ambitionis expers, qua, queso, in re non possit se optimè gerere?* Hac laude exiliens *Tsu Lu*, posteà canitabat semper hanc Carminum stropham. Sed Confucius, ut vanam ejus lætitiam reprimeret, & acediam extimularet, sic eum allocutus est: *Hæc duo, non invidere, non ambire, sunt quidem virtutis species; sed quid tantillum ad vastam viri probi perfectionem?*

36. Confucii effatum: Post hiemis frigora, tum scitur pinuum & cypressorum folia posteà tantum esse placide casura; atque per hoc ab aliis arboribus maximè discernuntur. Sic nempe Sapientes ab Insipientibus.

37. Confucii effatum: Vir prudens non dubitat; pius non dolet; fortis non timet.

38. Confucii effatum: Magister sapiens uniuscujusque Discipuli capacitatí sese accommodet, oportet: *Qui enim discendi desiderio tenetur, potest quidem admitti ad communem cum aliis palestram; sed non continuò ad incundam perfectionis viam; admissus ad incundam perfectionis viam, non continuò admitti potest ad firmiter standum in ea; ita ut nec adversa, nec prospera eum dejiciant.* Admissus ad firmiter standum, non continuò admitti potest ad inauram prudentis judicij trutinam.

39. Vetus liber Carminum, ut exprimeret amici erga amicum procul absensem

tem desiderium, sic olim habebat: Dum ego asperio amanissimos illas viridantium pyrorum flores, suavi impellente vento nunc huc, nunc illuc sese leniter conseruentes, qui possum ego de te non cogitare? Sed locum, ubi tuus degis, procul à nobis distas. Tum subdit Confucius: Videtur sancte non satis ex totis animi viribus de amico cogitasse; si enim ex totis animi viribus de eo cogitasset, quo modo poterat dici procul absesse?

## ARTICULUS X.

1. **C**onfucius, dum domi agebat, sincerissimus sine ullo falso erat: ita tamen verborum parcus, ut vix loqui posse videretur. Contradicte in parentali defunctorum Regulorum Aula, vel in Reguli palatio versabatur, erat facundissimus; simul tamen &c cautissimus.
2. Stans in Aula Regia, si cum Præfectis inferioribus colloqueretur, rectam magnanimitatem; si cum Superioribus, gravem affabilitatem prodebat.
3. Coram Regulo ita rotus ad venerationem compositus, ut nihil tamen coactum præferret.
4. Si Regulus eum acciret ad excipiendum hospitem Regulum, mox totus vultus gravitate immutabatur, perque modestiam tardus quasi ægrè attollebatur.
5. Hospes Regulus ad palatii portam appulsus solebat excipi à tribus Præfectis, qui in serie dispositi, verba duorum Regulorum sibi invicem communicabant ac transnittebant. Deinde uterque Regulus sibi mutuo occurrens, in majorem Aulam subibat. Itaque Confucius stans medius inter duos collegas, dum reverenter ab eo, qui sibi à dextris adstabat, Reguli verba excipiebat, & transmittebat illi; qui sibi adstabat à sinistris, tantam modestiam servabat, ut vestimenti ea anterior & posterior semper prope in æquali situ remaneret.
6. Postea ingrediente majorem Aulam utroque Regulo, functurus suo officio parumper gressum accelerabat, ea tamen gravitate, ut hinc & illinc (modo Sinico) paululum elati humeri quasi binæ alæ viderentur.
7. Cum abeunte Regulum usque ad portam deduceret Regulus, ibique paupilisper, donec extra conspectum esset, subsisteret; mox Regulo expectanti referebat: hospes omnino abiit, nec jam vultum reflectit.
8. Dum palatii portam subibat, ita venerabundus sese incurvabat, quasi ipsum capere non potuisse. In medio portæ stare nunquam ausus; portæ limen serere nunquam visus.

9. Duxi transibat ante regii throni locum, mox rotus vultus veneracione immutabatur; pes modestia cardus quasi ægrè attollebatur, & os quasi anum videbatur.
10. Aditans Regulum, dum interioris Aulae gradus subibat, prolixam cogam amibus manibus apprehensam leviter attollens, totum corpus profunda gravitate incurvabat, atque ita halitum intercipiebat, ut videretur respirare non posse.
11. A Reguli affectu recedens, cum primum scalæ gradum attigisset, statim serenam frontem expandebat: cum ultimum: tum gressum, ut ciliis extra Reguli conspectum esset, parvus per accelerabat; iterumque humeris graviter elatis, binatum instar alarum, ad suum inter Proceres locum redibat, atque pristinam venerationis speciem, quasi anxi similis, rursus induebat.
12. Olim dum Regulos Imperator crebat, dabant illis pro tessera seu insigni onychinam præscriptæ figuræ cabellam, quam quotiescumque Imperatorem adibant, præ manibus ante pectus gestare debebant. Deinde Reguli suis Legatis, quos sive ad Imperatorem, sive ad alios Regulos mittebant, illam etiam gestandam tradebant. Itaque Confucius, dum in aliud Regnum Legatus mittebatur à Regulo, onychinam legationis tessera, demissò corpore, ita reverenter excipiebat, quasi illam gestare non valeret; inter colloquendum, si illam attollebat, veneranti similis; si illam deprimebat, reddenti similis videbatur: vultusque species ita immutabatur, ut penè timentis imaginem referret; & pedes ita modestiæ cardos ægrè attollebat, quasi in instructa gradientium serie lente incederet.
13. Deinde dum Regulo, ad quem mittebatur, sui Reguli munera palam offerebat, venerandam gravitatem; dum sua privata, hilariorem vultum prodebat.
14. Confucius ad conficiendum sux cogit collare, nec flammeum, nec croceum colorem adhibebat; & ad conficiendas vulgares vestes, nec rubrum, nec fuscum, uspote muliebrem, admittebat.
15. Æstare quando simpliciter vestitus sive ex tenuiori, sive ex crassissi canabis specie confectum induebat, semper illi interiorum supponebat, nè corpus indecorè cerneretur. Hyeme pellibus vestitus, superiuncto ejusdem coloris panno, has obtegebat; undemigras heedorum pelles, nigri; subalbas himulerum, subalbi; flavas vulpines, flavi coloris panno tegebat.

16. Vester ejus vulgares ex pellibus confectione, multum prolixie erant; sed destra illarum manica paulò brevior, ut manus force ad scribendum, certosque usus expeditior. Abstinentia tempore, cum non licet ad dormiendum vestes exuere, peculiarem togam induebat unam & dissidiâ sui corporis mensurâ oblongam.
17. Hyeme domi degens, spissioribus vulpium aut animalis somniculosi Ho pellibus, utpote calidioribus, vestiebatur. Deinde omnis generis supellectilem, ad continuum usum necessariam, v. gr. cultellum, pretiosam cōtem, veruculum, & similia è vestibus dependentia, secum semper gestabat, nisi dum fūnus adibat; & nisi in publicis ceremoniis prolixam eogam, oris non consutis, vestiret; alias semper interiorem vestem omnibus consutis oris gerebat.
18. Parentaturus, pileum nigra hædi pelle circumductum non accipiebat. Quamvis Magistratum non gereret, primo tamen cuiusque mensis die aulicas adhuc vestes semper induebat, Aulāisque Reguli adibat.
19. Tempore abstinentiae vestem mundam ex kannabe confectionem induebat, & consuetum victimum immutabat; insuper solitum cubiculum relinquebat, & in secretius se recipiebat.
20. Quamvis in cibos exquisitos non esset propensus, bene naturâ etiam orizâ, pisciumque ac carnium minutali delectabatur.
21. Orizam humiditate & calore fermentatam; pisces putredine, aut carnes corruptioni proximas; denique quidquid vel colore, vel odore viciatum, vel male coctum, vel præmaturum erat, comedere refugiebat.
22. Insuper si quid male dissecatum erat, aut si quid debito condimento carbabat, non edebat. Quamvis paulò plus carnis comedere, non sinebat tamen, ut ea vires edendi superaret. In conviviis vinum sine staca regula bibebat; ea tamen moderatione, ut temulentus non esset.
23. Emptum in foro vinum, aut carnem sumo exsiccatam, non edebat. Abscisis non amovebat gingiber; non multum tamen sumebat.
24. Ubi Regulorum defunctorum parentationibus interfuerat, carnis partem, qua sibi obtigerat, mox edendam distribuebat; nec unquam usque ad sequentem diem relinquebat; carnem autem in suorum Majorum parentationibus præsentatam, nunquam usque ad tres dies incomestam relinquebat; tunc enim, utpote putrescens, non potest comedи.
25. Comederado, & cubitum eundo non loquebatur; quamvis vilia tantum vel legumina, vel esculenta ederet; aliquam tamen particulam ex singulis scu-

- scutellis excepit, eamque latice in media mensa apposita imponebat, more antiquo, ad testificandum grati animi erga primos ciborum coquendorum Inventores argumentum; in imponenda verò illa cibi particula, veneranti similis, singularem gravitatem & modestiam servabat.
26. Si storea, seu matra (olim Singe humi sedebant super mattas) non esset rite composita, non sedebat.
27. Postquam publico convivio interfuerat cum suis concubibus, nisi prius egressi fuissent Seniores, ipse egredi solebat.
28. Quando veniebat larvata illa turba ad effugandos è domibus malignos, aut morbosferos Spiritus, ipse aulica veste induitus in herilis, sive orientalis scalæ gradibus stans se præbebat videndum.
29. Dum in aliud Regnum mittebat aliquem è Discipulis ad sciscitandum de amici illic degeneris luctu, abenitem deducens iteratâ reverentiâ salutabat, quasi in Nuntio ipsum amicum salutasset.
- Primarius Regni L<sup>e</sup> Praefectus K<sup>m</sup> dono miserat ad Confucium pharmacum. Ipse pharmacum versus, reverentiâ præmissâ, benignè illud exceptit, nè videretur dopantem spernere. Sed mox latori dixit: Cui morbo curando hoc profit pharmacū, ignoro; idcirco non ausim id degustare.
30. Accidit, ut fortuito incendio consumeretur equile Confucii, qui è Reguli palatio redux, max peuit. Aliquius, inquit, homo ab igne Iesus est? nihil de equis interrogans.
31. Si Regulus carnis coctæ ferculum ei mittebat, exemplò non aliter ac si coram Regulo exitisset, compositè & graviter sedens aliquid ejus degustabat; dein reliquum aliis edendum distribuebat. Si carnem crudam mittebat, coqui jussara Majoribus suis presentabat. Denique si quod animal vivens v. gr. hœdum, agnum, &c. ipsum alendum curabat.
32. Dum Reguli mensa accumbebat, si Regulus Ceremoniam Cy primis ciborum conditorum Inventoribus faciebat, mox prior ipse cibos degustare incipiebat, non ausus eam facere, nec more hospitis expectare, donec Regulus ipsum honoris ergo invitaret ad edendum.
33. Ager si à Regulo invisebatur, statim caput ad partem orientalem convertebat honoris ergo. Cumque aulicam vestem non posset induere, eam saltē supra se apponi, eique superponi aulicum cingulum jubebat.
34. A Regulo accersitus, non expectabat ad carpendum iter, donec equi curru aptarentur; sed statim abiit, veritus, nè in illis seditionum temporum angustiis periculum afferret mora.

35. Si amici omni subsidio deficitus obierat: mox ego, aiebat, justa ei persolvam. Nunquam reverentiam erga amici inuque, quantumvis preiosum, v. gr. equos, currum, &c. exhibebat, sed amicè tantum illud excipiebat, excepta carne defunctis Parentibus presentata, erga quam, addit Interpres, tamquam erga ipsos Defunctos profundam reverentiam exhibebat.
36. In lecto decumbens, non se incompositè mortui instar, extendebat; solus domi agens severiorem illam gravitatem deponebat.
37. Occurrens homini funebri ueste induito, quantumvis familiari, subiret vultus speciem commiserando immutabat. Si quem aut prefectum aut cæcum, quamvis ipse solus agens, forte videret; statim assurgendo venerantis speciem induebat.
38. Confucius curru vehens, si forte viro aut funebri ueste induito, aut liberum, in quo totius populi nomina sunt scripta, gestanti occurreret, statim venerabundus anteriori transversi ligni balero incumbebat.
39. Invitatus ad mensam, si multam ciborum elegantiam aut lauriciam videret, statim immutato vultu assurgens, hospitem venerabatur. Ubi Cælum aut fulgere tonabat, aut vento stridebat, illicò oris specie immutabat.
40. Dum currum ascendebat; recto stans corpore, eorum lora manu capiebat. In curru sedens vultum retro non flectebat. Si quid dicendum occurreret, modestè illud dicebat: Si quid videndum, dige non illud monstrabat.
41. Aves, inquietabat, infestum venatoris vultum conspicatæ, nescio quo naturæ instinctu edoctæ, protinus avolant; variéque per æra gyranæ, prospecto securo loco, tandem in eo quiescunt. Cum autem in montis vertice vidisset phasianam avem, velut ingemiscens dixit: Illa phasiana avis in montis vertice residens, quæ bellè novit sibi consulere! quæ bellè novit bibendi, edendi, quiescendi tempus! Tum Discipulus Ise tu, qui Magistro adstabat, cœpit in illam oculos convertere, quasi eam capere gestiisset; sed illa ter edito cantu, exurgens avolavit.

## ARTICULUS XI.

1. **Q**uoad honestatis & Musicæ officia, Prisci nunc vulgo habentur in culti; Recentes, exulti; ego tamen in harum disciplinarum usu Priscos sequor.
2. Regni Iapon (id est, Provinciæ Riu gran) Regulus Chao invitârār Confucium ad

- ad eum toti regimini praficiendum. Confucius itaque multo Discipulorum comitatu stipatus carpit iter; jamque ad exigui Regni Chin & Tſay limites pervenierat; cum horum duorum Regnorum Praefecti, inito consilio, statuerint iter illi impedire, veriti, nè utilitas, qua ex Confucii Magistratu illi amplio Regno Tſay obveniret, in suam dannam vertetur. Quare multo sajice circumdant Confucium, omnemque transcundi adirum intercludunt; ita ut deficiente commaneat & victu coactus fuerit cum suis in Patriam *la* reverti. Horum minor Confucius sic postea aiebat: Eheu! qui me olim usque ad Regna Chin & Tſay forciter secuti sunt Discipuli, nunc omnes dispersi sunt! jam nullus eorum hoc lumen frequentat.
3. Illi Discipuli, qui tunc secuti fuerant Confucium, quamvis omnes essent insignes; *Ten yuen* tamen, *Mem tsu kien*, *Gen pe niex*, *Chun kien* virtute; *Tſay ngu* & *Tſu kien* eloquentia; *Gen yen* & *Ki la* regendi arte; *Iſu yen* & *Tſia* scientia inter ceteros excellebant.
4. Confucius igitur memor horum Discipulorum sic rursus aiebat: Meus ille Discipulus *Hui*, id est, *Ten yuen*, me docentem non adjuvabar; omnia enim, quæ docebam, max hilari vultu promptus excipiebat, & agere gestiebat.
5. Dein pergens: Discipulus *Mou tſa kien*, quām insigni erga parentes observantia potiebat! non tantum pater, mater, fratres eum laudabant; sed etiam ceteri omnes hñ ab eorum laudibus discrepabant.
6. Discipulus *Nan yuen*, ut referunt ejus Condiscipuli, hæc verba, quæ habentur in libro Carminum tom. *Ta ye*, odā *Ye*: *Albifimi alabastri macula, abſergendo deleri posset; clapsi autem verbi macula, revocando deleri non posset;* ter in die recolebat ac repetebat. Hinc Confucius fratri sui natu majoris filiam ei in matrimonium collocavit.
7. Primarius Regni *La* Praefectus *Ki kam* quæsiuit ex Confucio, quis uām inter omnes ejus Discipulos verus esset discendi amator? ea nimirum mente, ut aptiores posset Regulo proponere ad dignitates. Cui Confucius: Meus, inquit, Discipulus *Ten boei* planè erat verus discendi amator. Sed proh dolor! præcoce morte creptus est. Nunc, qui sit verè discendi amator, novi neminem.
8. Cum Discipulus *Ten yuen* obiisset, illius pater *Ten la* rogavit sibi donari à Confucio ipsius currum, ut ejus pretio construeret aliquod ornamenti genus supra filii defuncti fererum; ratus nimirum Confucium non admodum egere illo curru, quandoquidem Magistratum non amplius gerebat.

set. Illi autem sic respondit Confucius: *Quivis filius sive polleat; sive non polleat ingenio vel industriâ, pater cum vocat filium, & tractat ut filium.* Jam verò meus unicus filius *Li*, sive *Pe yu*, cùm nuper obiisset, habuit quidem feretrum, sed nullum ornamentum feretro superpositum; nec meum tunc curruta vendendam, mèque deinceps debere ire peditem putavi, ut ejus pretio ornamentum feretro superponerem, licet enim Magistratum non geram amplius, cùm tamen post primarios Regni Praefectos primo loco veniam, sapientiusque in publicis negotiis occuper, idcirco non decet me peditem iter agere.

9. Confucius sperabat suæ doctrinæ heredem & propagatorem fore istum Discipulum *Ten yuen*; videns autem illum sic præproperè obiisse, ingemiscens aiebat: Eheu! mihi vitam Cælum adimit! mihi vitam Cælum adimit!

10. Confucius audita Discipuli *Ten yuen* morte, subito commotus in lacrimas erupit. Quod conspicati ejus Discipuli, tacitè aiebant: Magister noster plus æquo, vehementer dolet. Mox id resciens Confucius: Itane, inquit, vehementer doleo? Sed numquid id ratio postulat? Si enim hunc Discipulum vehementer non luxero, ecquem sanè lugebo?

11. Cùm autem pauper obiisset hic Discipulus *Ten yuen*, nec haberet unde magnificè sepeliretur; ejus Condiscipuli communī cōsilio solemnē illis exequias persolvere statuerunt. Ast illis reluctabatur Confucius: Non id decet, inquit; ratio enim postular, ut exequiæ Defuncti conditioni & facultatibus respondeant. Verum illi, prout statuerant, solemnissimas ei persolverunt exequias. Tum Confucius illos increpans: Meus, inquit, dilectus *Hoei*, dum in vivis agebat, me semper spectavit ut patrem; ego, postquam ille è vivis excessit, non potui cum spectare ut filium; ubi enim meus filius *Li* obiit, eum juxta rectæ rationis & Rituum regulas sepeliendum curavi. Ceterum non ego id feci, sed illi duo trésve Discipuli.

12. Discipulus *Ki lu*, sive *Tsu lu*, petiit à Confucio, quonam pacto Spiritibus inserviendum foret? Cui Confucius: Quo, inquit, pacto hominibus, quos vides, sit inserviendum, nondum didicisti; ecquî possis discere, quonam pacto Spiritibus, quos non vides, inserviendum sit? Rursus idem *Tsu lu*: Ausim, inquit, sciscitari; mors, quid est? Cui Confucius: Quid sit vita, & quid sit rectè vivere, nondum novisti; ecquî possis nōsse, quid sit mors, & quid sit beatè mori?

13. Fortè adstabant ad latus Confucii hi quatuor Discipuli, vultu omnino dissimiles: *Mom tsu kien*, benigno; *Tsu lu*, audaci; *Gen yeu*, & *Tsu kum*, gra-

vi. Quo aspectu recreatus Confucius, occultam animi luctitiam non potuit non prodere. Attamen cum videret Discipulum Iſu Iu nimiā peccare audaciā, illum præmonendo sic affatus est: Discipulus iste Yesh, id est Iſu Iu, mihi videtur instar viri, qui non potest sua naturali morte defungi. Verba probavit eventus. In Regno enim Greci sub Duce Kum ly militans pugnando occubuit.

14. Regni ~~la~~ Regulus meditabatur publicam ararii, horreique domum vetustate labefactatam destruere, novamque construere. Atque haec erat sc̄re omnium Praefectorum sententia; at Mōn iſu kien Confucii Discipulus illis reluctans: Numquid, inquit, satius foret parum labefactatam reparare, quam novam construere? quid vobis videtur? ad quid enim necesse novam construere? Quo comperto Confucius: Vir ille, inquit, non facilē loquitur: cūm igitur ita audacter locutus fuerit, haud dubiē i&ratio exigebat.

15. Discipulus *Ten*, seu *Tsu lu*, in palestra, antiquo Sinarum more, pulsabat citharam; sed quia ipse erat bellicosus, tono martialis fortiter eam impellebat. Idcirco Confucius: Ad quid, inquit, iste *Ten* ita martiali strepitu in mea palestra citharam pulsat? Hoc audito, alii Discipuli cœperunt minoris facere Condiscipulum *Tsu lu*; ast illicò eos arguens Confucius, sic in illius laudes erupit: Meus iste *Ten*, quamvis in secretius sapientiae conclave necdum penetrarit: sua tamen excelsa mente ac fortitudine potest verè dici in anteriorem ejus Aulam subiisse.

16. Discipulus *Tsu kum* interrogavit Confucium de duobus suis Condiscipulis *Su* & *Xam*, uter foret sapientior? Respondit Confucius: *Su* se majora, *Xam* se minora molitur. Ergo, reponit *Tsu kum*, Condiscipulus *Su* vincit *Xam*? Cui Confucius: Peccare, inquit, per excessum non minor est natus, quam per defectum.

17. Primarius Regni *Lu* Praefectus *Ki sun*, quamvis ita opibus afflueret, ut ipsum Principem *Chen kum* olim opulentissimum superaret; Confucii tamen Discipulus *Gen kieu* domus Administer, mille artibus adhuc eum adjuvabat ad majores quotidie accumulandas. Quare offendit Confucius sic suos Discipulos alloquitur: Iste *Gen kieu*, qui talia audet, non est meus Discipulus. Vos, parva Discipulorum turba, voce unanimi tamquam infesto tympani strepitu, illum impetite, & increpate; vos ira agere addecet, ut resipiscat.

38. Deinde de quatuor aliis Discipulis suis sic aiebat: Discipulus Chay erat paulò

- set. Illi autem sic respondit Confucius: *Quivis filius sive polleat; sive non polleat ingenio vel industriâ, pater eum vocat filium, & tractat ut filium.* Jam verò meus unicus filius *Li*, sive *Pe yu*, cùm nuper obiisset, habuit quidem feretrum, sed nullum ornementum feretro superpositum; nec meum tunc currum vendendum, mèque deinceps debere ire peditem putavi, ut ejus pretio ornementum feretro superponerem; licet enim Magistratum non geram amplius, cùm tamen post primarios Regni Praefatos primo loco veniam, sàpijsque in publicis negotiis occuper, idcirco non decet me peditem iter agere.
9. Confucius sperabat suæ doctrinæ heredem & propagatorem fore illum Discipulum *Ten yuen*; videns autem illum sic præproperè obiisse, ingemiscens aiebat: Eheu! mihi vitam Cælum adimit! mihi vitam Cælum adimit!
10. Confucius audita Discipuli *Ten yuen* morte, subito commotus in lacrimas erupit. Quod conspicati ejus Discipuli, tacite aiebant: Magister nôster plus æquo, vehementer dolet. Mox id resciens Confucius: Itane, inquit, vehementer doleo? Sed nunquid id ratio postulat? Si enim hunc Discipulum vehementer non luxero, ecquem sanè lugebo?
11. Cùm autem pauper obiisset hic Discipulus *Ten yuen*, nec haberet unde magnificè sepeliretur; ejus Condiscipuli communī consilio solemnè illi exequias persolvere statuerunt. Ast illis reluctabatur Confucius: Non id decet, inquit; ratio enim postulat, ut exequiæ Defuncti conditioni & facultatibus respondeant. Verum illi, prout statuerant, solemnissimas ei persolverunt exequias. Tum Confucius illos increpans: Meus, inquit, dilectus *Hoei*, dum in vivis agebat, me semper spectavit ut patrem; ego, postquam ille è vivis excessit, non potui cum spectare ut filium; ubi enim meus filius *Li* obiit, eum juxta rectæ rationis & Rituum regulas sepeliendum curavi. Ceterum non ego id feci, sed illi duo tréves Discipuli.
12. Discipulus *Ki lu*, sive *Tsu lu*, petiit à Confucio, quonam pacto Spiritibus inserviendum foret? Cui Confucius: Quo, inquit, pacto hominibus, quos vides, sit inserviendum, nondum didicisti; ecquî possis discere, quonam pacto Spiritibus, quos non vides, inserviendum sit? Rursus idem *Tsu lu*: Autim, inquit, sciscitari; mors, quid est? Cui Confucius: Quid sit vita, & quid sit rectè vivere, nondum novisti; ecquî possis nôste, quid sit mors, & quid sit beatè mori?
13. Fortè adstabant ad latus Confucii hi quatuor Discipuli, vultu omnino dissimiles: *Mian tsu kien*, benigno; *Tsu lu*, audaci; *Gen yeu*, & *Tsu kum*, gravi.

vi. Quo aspectu recreatus Confucius, occultam animi letitiam non potuit non prodere. Attamen cum videret Discipulum *Tsu lu* nimia peccare audaciā, illum præmonendo sic affatus est: Discipulus iste *Ren*, id est *Tsu lu*, mihi videtur instar viri, qui non potest sua naturali morte defungi. Verba probavit eventus. In Regno enim Greci sub Duce *Kum ly* milites pugnando occubuit.

14. Regni *Lu* Regulus meditabatur publicam ærarii, horreique domum vetustate labefactatam destruere, novamque construere. Atque hæc erat ferè omnium Præfectorum sententia; at *Mim* *Tsu kien* Confucii Discipulus illis reluctans: Numquid, inquit, satius force parum labefactatam reparare, quam novam construere? quid vobis videtur? ad quid enim necesse novam construere? Quo comperto Confucius: Vir ille, inquit, non facile loquitur: cum igitur ita audacter locutus fuerit, haud dubie id ratio exigebat.

15. Discipulus *Ren*, seu *Tsu lu*, in palestra, antiquo Sinarum more, pulsabat citharam; sed quia ipse erat bellicosus, tono martiali fortiter eam impellebat. Idcirco Confucius: Ad quid, inquit, iste *Ren* ita martiali strepitū in mea palestra citharam pulsat? Hoc auditio, alii Discipuli cœperunt minoris facere Condiscipulum *Tsu lu*; ast illicò eos arguens Confucius, sic in illius laudes erupit: Meus iste *Ren*, quamvis in secretius sapientiae conclave necdum penetrarit: sua tamen excelsa mente ac fortitudine potest verè dici in anteriorem ejus Aulam subiisse.

16. Discipulus *Tsu kum* interrogavit Confucium de duabus suis Condiscipulis *Su* & *Xan*, uter foret sapientior? Respondit Confucius: *Su* se majora, *Xan* se minora molitur. Ergo, reponit *Tsu kum*, Condiscipulus *Su* vincit *Xan*? Cui Confucius: Peccare, inquit, per excessum non minor est nævus, quam per defectum.

17. Primarius Regni *Lu* Præfectus *Ki sun*, quamvis ita opibus afflueret, ut ipsum Principem *Chen kum* olim opulentissimum superaret; Confucii tamen Discipulus *Gen kien* domus Administer, mille artibus adhuc eum adjuvabat ad majores quotidie accumulandas. Quare offensus Confucius sic suos Discipulos alloquitur: Iste *Gen kien*, qui talia audet, non est meus Discipulus. Vos, parva Discipulorum turba, voce unanimi tamquam in festo tympani strepitū, illum impetite, & increpate; vos ita agere addecet, ut resipiscat.

18. Deinde de quatuor aliis Discipulis suis sic aiebat: Discipulus *Chay* erat paulò

1. paulò rudior; sed paulò tardior; si non satis ingenuus; seu non satis ar-  
barius.
19. Postea rursum de suo *Ten hoë* sic: Meus autem ille *Hao*, numquid penè ve-  
ram sapientiae viam attigerat? licet in maximam sapè rodacter fuisset  
paupertatem, semper tamen lètissimus agebat. Contra su, sive *Tsu kum*,  
caelesti providentiae non acquiescens, assidue in coacervandas opes incum-  
bebat; & tam sagax erat, ut penè semper, quod præsumebatur, reverè  
consequeretur.
20. Discipulus *Tsu chans* quæsitus ex Confucio, quid sentiret de modo agendi  
eorum, qui naturali quadam probitate sunt prædicti? Cui Confucius:  
Hi, inquit, cùm perfectam priscorum Sapientum normam non sequan-  
tur, ideo non possunt in secretius sapientiae conclave penetrare.
21. Confucii effatum: Si ex solo aspectu aut sermone mox judices aliquem  
esse virtute præditum, potésne asserere eum esse vera aut falsa virtute præ-  
ditum?
22. Discipulus *Tsu lu* interrogavit Confucium, utrum doctrinam, quam in  
schola audiebat, statim posset in praxim redigere? Cui Confucius:  
Cùm patrem, inquit, & fratres natu majores, quorum dicto parere de-  
bes, adhuc habeas; quomodo possis absque eorum facultate id, quod in  
schola audiēris, statim in praxim redigere? Postea Discipulus *Gen kien*  
idem interrogavit: cui confessim Confucius annuit. Condiscipulus *Kum si hoa*, cùm hæc duo Confucii responsa adeò diversa audiisset, per-  
plexus hæsit; idcirco sic Confucium interrogavit: Modò, inquit, Con-  
discipulus *Chum yeu*, id est *Tsu lu*, petiit; utrum posset, quod in schola  
audiisset, statim in praxim redigere: tu, Magister, respondisti: patrem &  
fratres natu majores habes: horum dictis obsequere. Deinde Condisci-  
pulo *Gen kien* idem interroganti, mox annuisti. Tuus ego *Ché*, id est *Kum*  
*si hoa*, his duobus diversis responsis perplexus hæreo; ausa, quæso, eos  
rum explicationem interrogare. Tum Confucius: Discipulus *Gen kien*  
vir est animo nimis timido; ideo debet exsternali. *Chum yeu* nimis au-  
daci, par duobus; ideo debet refranari.
23. Cùm ab incolis loci *Quan* impeditus, præsens periculum evadere prope-  
raret Confucius; (vide supra) Discipulus *Ten yuen* viarum errore avulsus,  
retro hæsic; sed paulò post prægressum Magistrum attigit; cuius aspectu  
recreatus Confucius: Ego, inquit, te imperfectum putabam. Mox *Ten*  
*yuen*: Te vivo Magistro, tuus ego *Hoi*, qui auctor me morti objiceret?

24. Primarii in Regno La Ministri filius Ki iſu gen interrogavit Confucium de duobus Discipulis suis Chum yeu & Gen kieu, qui in Patris domo Subpræfectos agebant, utrum possent dici nisi pollere virtutibus, quæ magnos Regni Ministros efficiunt? ut hinc scilicet posset gloriari, si annueret Confucius. Sed sic ei respondit Confucius: Enimverò, Domine. ego rebar me à te rogandum de longè aliis viris; nunc autem de istis meis Discipulis Chum yeu & Gen kieu me interrogas; quid sanè hi sunt ad magnos Regni Ministros? Magnus Regni Minister ille est, qui juxta æquitatis leges Regi inservit; si autem juxta æquitatis leges ei non possit inservire, mox se suo officio abdicat. Jam verò Chum yeu & Gen kieu ad summum possunt in numerum vulgarium Præfectorum recenseri.

25. Ergo, reponit Ki iſu gen, sunt de numero eorum, qui suis Dominis in omni re annuant? Cui Confucius: Dominis vel in Parentes, vel in Regem exiunt molientibus, certè non annuant.

26. Discipulus Chum yeu, sive Tsu lu, qui in hujus regii Ministri domo primarium Administrum agebat, voluit constituere suum Condiscipulum Tsu kao; oppidi p. Præfectum. Illum autem sic arguit Confucius: Reverā tu noces isti homini: vix enim à primo limine Sapientiam salutavit, & statim vis illum constituere Præfectum. Tsu lu, ut se purgaret, illicò sic reponit: Illic est frequens populus, quem regat; illic terra ac frugum Spiritus, quem colat, suggestum. Ad quid ergo necesse, ut quis scientias addiscat, libros pedentem evolvere? Tum Confucius ad suos alios Discipulos conversus: Absurda semper effutit iste verbosus; idcirco malesanam ejus garrulitatem iam pridem odi.

27. Contigit ut hi quatuor Discipuli, Tsu lu, Ts' em sie, Gen yeu, Kum si hoa, hinc & hinc ad latus considerent. Tunc Confucius singulorum mentem scrutaturus, sic ait: Unum sanè me angit, quod vos toto die me tamquam Seniorem ac Magistrum timidè spectetis, nil unquam in medium proferre ausi. Nè me sic spectetis velim. Scio vos privatim dicere: Ego certè Magistratui gerendo p̄it sunt; sed qui me noscat, & proponat, nemo est. Eia ergo demus, ut alii vos noscant, & Magistratu potiamini; quid vos tunc facturos existimatis?

28. Exemplò Discipulus Tsu lu, verba verbis connectens, reponit: Sit, inquit, Regnum centum quadratis stadiis amplum, ex quo mille quadrigæ bellicæ educi solent, aliis magnis Regnis hinc & hinc circumscriptum; insuper adde multos exercitus, & armorum strepitus; unde fiat, ut colonis huc illuc

dispersis sēpius agri non colantur, segetes & legumina non maturescantur, sterilitas & fames frequenter adficit. Si mihi hujusmodi Regnum daretur administrandum, tuus ego *Ten* videor intra triennium efficere posse, ut & vires ad repellendos hostes necessarias acquirereret, & sectandæ æquitatis normam colleret. Conspicatus hunc præcipitem respondendi ardorem, tacitè subrisit Confucius.

**Nota:** Olim Reguli sive Principes clientelares dividebantur in quinque ordines, scilicet, *Kum*, *Hou*, *Pe*, *Tsu*, *Nan*, quasi dices Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones. Regulorum *Kum* & *Hou* Regnum continebat 100. stadia quadrata; & vocabatur magnum Regnum. Regulorum *Pe* Regnum continebat 70; *Tsu* & *Nan* 50; & haec tria vocabantur parva Regna. Totum Imperatoris Imperium continebat 5000. stadia quadrata.

29. Conversus deinde ad Discipulum *Gen kien*: Tu verò *Kien*, quid? Cui modestè: Me, inquit, magni Regni sustinendo oneri parem non ausim afferere; sed si parvi Regni septuaginta aut sexaginta stadiis ampli mihi cura demandaretur; tuus ego *Kien* videor intra triennium me efficere posse, ut ejus populo omnia ad vitæ sustentationem necessaria abundè suppterent. Sed quod ad Rituum & Musicæ disciplinas perficiendas attinet, ego virum absolutâ & scientiâ & virtute præditum expectarem.

30. Postea conversus ad Discipulum *Kum si hoa*, seu *Kum si che*: Tu verò *Che*, quid? Cui ille: Ego, inquit, non ausim affirmare, quod Rituum & Musicæ disciplinas calleam: Quocirca has adhuc addiscere exopto. Ceterum quando in parentalı Imperatorum defunctorum Aula parentatur, vel quando clientelares Reguli, eorumve Legati ex omnibus Regnis confluentes unà conveniunt in Imperiali Palatio, clientelare obsequium præstatur; si tunc ego aliquo munere dignus judicarer, cuperem certè solenni & toga & pilo ornatus, parvulum quemdam Ceremoniarum Magistrum agere.

31. Denique conversus ad Discipulum *Tsem tien*, sive *Tsem sie*: Tu verò *Tien*, quid? Tum *Tsem tien*, qui citharam huc usque pulsārat, protinus eam ponit, sono sese suaviter remittente, ac sensim percunte. Depositâ ergo citharâ, assurgens modestè reponit: Quod ego exopto, longè ab his trium Condiscipulorum votis diversum est; adeoque aperire non expedīt. Quid mali? subjungit Confucius: unusquisque, quod sentit, aperit; quod amat, exponit, & nūl aliud. Tum *Tsem tien*: Ego, inquit, quod amo,

anno, hoc est: sub finem veris, cum jam aër incipit esse calidior, vero amictu confecto, cum 5. aut 6. amicis jam pileatis, & sex aut septem adolescentibus subsequentibus, ire deambulatum ad australem nostræ metropoleos *Ten chou* partem, ibique in limpidissimo fontis *T rivo* corpus lavare; deinde sub umbroso illo arborum tegmine dicto *Yu* *yu*, suaviter ventum & auram captare, dulcésque versuum strophas unanimi voce & hyra cantare, atque leni cantu animum pascere; denique post amicam deambulationem, & innocentem animi relaxationem domum reverti; hæc mea & vota & deliciæ sunt. Mox huic applaudens Confucius, suspiranti similis ait: Ego, charissime *Tien*, tecum idem profectò sentio & exopto.

Nota: Olim Siaenses pueri ante decimum quintum annum pileum non gerebant; sed hic solemnii Ritu inter decimum quintum & vigesimum ætatis annum illis imponebatur, tuncque ex ephedib⁹ egressi, seu pileati dicebantur. Pari modo puellis circa eamdem ætatem, sed paulò cito, præscriptus capit⁹ ornatus solemniter imponebatur.

32. Discipulus *Tsem sie*, cum vidisset Confucium ad Condiscipuli *Tsu lu* verba subrisisse; ad aliorum duorum sententiam tacuisse, ad suam locutum fuisse, hæsit dubius; ideoque his tribus Condiscipulis egressis, seorsim sic ipse Confucium interrogavit: Magister, quid de iis, quæ protulerunt Condiscipuli, sentis? Sua quisque, inquit Confucius, vota & mentem aperuit, nihilque aliud. Quid est, quod de iis sentiam? instat *Tsem tien*: ecce igitur ad verba *Tsu lu*, Magister, subrisisti? Quisquis, reponit Confucius, cupit Regnum ritè administrare; modestiam, animi demissionem, & Rituum honestatem priùs servet, necesse est. Jam verò ille *Tsu lu* absque ulla animi demissione & modestia, vix interrogatus, suam subitò ostentavit industriam; idcirco ego subrisi.

33. Condiscipulus autem *Gen kieu*, pergit *Tsem tien*, dixit se posse intra triennium efficere, ut Regno septuaginta, aut sexaginta stadiis amplio omnia ad vitæ sustentationem necessaria abundè supppererent; liceat, quæso, petere; potestne tantilla terræ portio dici Regnum? Cui Confucius: Cum quodvis Regnum, sive centum, sive septuaginta, sive quinquaginta stadiis amplum, eamdem auctoritatem, eadem jura, idem regimen possideat; ecce dicitio septuaginta, aut sexaginta stadiis ampla non possit dici Regnum?

34. Denique subjungit *Tsem tien*: Jam verò Condiscipulus *Kum si che* assuit, se posse parvulum quemdam Ceremoniarum Magistrum agere; licet,

ceat, quæso, iterum interrogare: Qui parvulum dumtaxat Ceremoniarum Magistrum agit, potestne is dici Regnum regere? Cui Confucius: Ille asseruit se posse parvulum Ceremoniarum Magistrum agere in parentali Imperatorum defunctorum Aula, in generali Regulorum omnium congressu, in splendido Praefectorum ex omnibus Regnis delegatorum cœtu; si hoc non sit verè Reguli negotium ac munus; dic, quædo, quid sit? Enimverò Discipulus *Xum si che*, si tantum possit parvulum agere Ceremoniarum Magistrum; ecquis magnum poterit agere?

## ARTICULUS XII.

1. **D**iscipulus *Ten yuen* interrogavit Confucium, quid factu opus sit ad pietatem seu omnimodam cordis rectitudinem comparandam? vince te ipsum, respondit Confucius; omne quod agis, ad honestatem reduc, & sic pietatem comparasti: quin imò si vel uno tantum die penitus te ipsum viceris, omnèque quod egeris, ad honestatem retuleris; protinus te fama in omnium ore circumferet, totumque Imperium te piuum ac rectum celebrabit. Nec hoc difficile; pietas enim non ab aliis, sed à nobis solis dependet.
2. Rursus Discipulus *Ten yuen*: Permitte, inquit, ut exquiram præcipua quædam hujus virtutis capita. Cui Confucius: Si quid videndum honestati contrarium occurrat, noli videre; si quid audiendum, noli audire; si quid loquendum, noli loqui; si quid agendum, noli agere, si quis motus rationi dissonus exurgat, noli ei consentire. Tum reponit *Ten yuen*: Tuus ego *Hoei*, quamvis sim parùm solers, hæc tamen præclara præcepta liceat, quæso, in praxim deducere.
3. Discipulus *Chum kum*, cognomento *Gen yum*, etiam interrogavit, quid factu opus ad piè, & rectè vivendum? Respondit Confucius: Dum foris agis, ita te gravem ac modestum exhibe, perinde ac si magnum quemdam hospitem inviseres. Dum aliquid populo præcipis; ita te gravem ac modestum exhibe, perinde ac si magnam solemnitatem faceres. Deinde ex teipso alios metire; nimirum quod tibi non vis fieri, alterinè feceris. Hujusmodi vir sive foris cum populo, sive domi cum parentibus agat, nec sibi nec aliis ullam dat molestiam, aut iræ occasionem. Tum reponit *Chum kum*: Tuus ego *Yum*, quamvis sim parùm solers, hæc tamen præclara præcepta liceat, quæso, in praxim deducere.
4. Discipulus *Su ma nieu* etiam interrogavit, quid factu opus ad piè & rectè viven-

vivendum? Respondit Confucius. Qui vult piè & rectè vivere, sit difficultis ad loquendum. Mox reponit *su ma nien*: Esse difficultem ad loquendum, idne cantillum sufficit ad piè & rectè vivendum? Cui rursus Confucius: Piè & rectè agere, est difficile; numquid ut & loquatur, debet esse quis difficilis?

5. Deinde idem Discipulus *su ma nien*: Sapiens, inquit, qualisnam vir? Vir est, reponit Confucius, qui nunquam dolet, nunquam timet. Vir, qui nunquam dolet, nunquam timet, subjungit *su ma nien*, potestne continuò dici Sapiens? Cui Confucius: Vir, qui dum suum animum inspicit, nullam in eo ægritudinem aut labem invenit, dic, quæso, quid possit aut dolere aut timere?

6. Hic Discipulus *su ma nien* habebat fratrem natu majorem *Yen wei* in Regno *Szechwan*, hominem turbulentum, & cum eo duos fratres natu minores *Tsu ki*, & *Tsu kin*, qui communis sceleris eadem audiebant. Quamobrem moerore confessus, sic ingemiscens aiebat: Omnes alii fratum consuetudine, solatio, auxilio perfici possunt; heu! solus ego non possum; solus ego fratres non habeo. Cui Condiscipulus *Tsu hia*: Ego, inquit, *Xan*, (*Xan* est nomen, *Tsu hia* cognomentum) sapientius haec audivi à Magistro Confucio: Mors & vita à Cæli lege pendent, nec hanc immutare possumus; paupertas & divitiae à Cæli dispositione diminant, nec hanc cogere possumus. Ideò vir sapiens hanc Cæli legem ac dispositionem sine intermissione reveretur; hac una contentus vivit. In quacumque hominum consuetudine versetur, se semper comem & reverentem præbet. Idcirco omnes populi intra quatuor maria conclusi, tamquam uterini fratres, cum amore & benevolentia prosequuntur. Qui ergo potest vir sapiens dolere se fratribus carere?

7. Discipulus *Tsu chom* interrogavit Confucium, quisnam posset dici vir perspicax? Cui Confucius: Sunt quidam, inquit, qui occulta arte, aliorum famæ detrahunt, sensim in audientium animos se se insinuando, a sensuamque captando, non aliter ac si sensim in aquam linteum immergerent, donec totum sit madefactum. Contrà sunt alii, qui apertis verbis, injuriæ sibi illatae atrocitatem extollunt, eamque velut præsentem audientium oculis subjiciunt, non aliter ac si subitum in cute vulnus acceptissent. Jam verò, qui nec illis occultis detractoribus, nec his apertis accusatoribus subito dat fidem, hic non tantum perspicax, sed etiam longè perspicax dici potest.

8. Discipulus *Tsu kum* quæsiit ex Confucio, quid ad bonum regimen necessitatem foret? Cui Confucius: Hæc, inquit, tria: victus abundans, militia sufficiens, populus fidus.
9. Si autem, reponit *Tsu kum*, hæc tria simul haberi nequeant, nec aliter fieri possit, quin unum tollatur; ecquod ex his tribus prius tollendum censes? Tolle milites, inquit Confucius.
10. Iterum reponit *Tsu kum*: Si autem sublatâ militiâ, nec ipsa duo reliqua, nempe *victus* & *fidelitas*, simul haberi nequeant, nec aliter fieri possit, quin unum tollatur; ecquod ex his duobus prius tollendum censes? Tolle *victum*, inquit Confucius. Sublato *victu*, populi quidem morientur; sed ab omni ævo mors omnes manet; *fidelitas* autem est id, quod hominem constituit; hanc tolle; mox populi jam non homines, sed ferae erunt. Numquid ergo, addit Interpres, præstat mori ut homo, quam vivere ut fera?
11. Primarius Regni *Guci* Præfector *Kie tsu chiu*, cum sub fine in Imperii *Cben* videret homines plus corpori, quam animo ornando vacare, in hæc verba erupit: Ad quid sanè opus est fucato illo morum, & externæ honestatis ornatu? Da sincerum, da candidum virum, & ego hunc Sapientem dixero. Quo audito Discipulus *Tsu kum*, correcturus utrum excessum per alium, sic ait: Heu! Domine, quid, quæso, dixisti? Ecquem Sapientem vocas? Enim verò incauta verba, quæ præproperans lingua effutit, laxatis licet habenis currentes, quatuor equi assequi non possunt, ut revocent. Sapiens itaque tantum tribuit exteriori morum honestati, quantum interiori cordis candori; & contrà tantum interiori cordis candori, quantum exteriori morum honestati; utrumque pari studio curat. Sublata enim exteriori morum honestate, qui Sapientem ab Insipiente discernas? Si pretiosam maculosa tigridis pelle variegato pilorum ornatu expoliaveris, annon tunc, sicut quævis vilissima sive canis, sive capræ pellis, habebitur.
12. Olim Imperator *Yu* totam Chinam in novem Provincias pro vestigiali exigendo diviserat, omnésque agros sic partitus fuerat, ut ex novem partibus una Imperatori cederet. Unde disponebantur novem jugera, in quadrum eo ordine, quo novem trochili disponuntur ad ludendum. Atque ista quadrata agrorum divisio vocabatur *Tsim*, propter quamdam cum hac littera *Tsim* similitudinem. Jugera quod erat in medio aliorum octo positum, pertinebat ad Imperatorem, & illud colere tenebantur octo lateraliū

teralium jugerum coloni. Postea autem, quia hi coloni laterales negligenter colebant Imperatoris jugerum, idcirco Imperatoria Familia Chen medium illud Imperatoris jugerum cessit octo collateralibus colonis, & legem condidit, ut ex istis novem jugeribus sibi pro vectigali solverent decimam omnium fructuum partem; atque haec vectigalis lex dicta est Chen, id est communis labore agros colere, & aequalem fructuum partem recipere. Jam verò Regni *Li* Regulus *Ngai* *kun* Confucii Discipulus *Ten* jo sic interrogavit: Hisce annis cùm magna sterilitas, & frugum penuria oborta sit; ea, quæ mihi ad victum & usus publicos sunt necessaria, non suppetunt; ecquod, quæso, remedium? Cui Discipulus *Ten* jo: Quidni, inquit, uteis universalis Imperii Chen lege Chen, qua una ex decem partibus Regi solvitur pro tributo? Imò verò, reponit Regulus, olim Regulus *Sien* *kun*, unus ex meis Prædecessoribus, instituit, ut duæ ex decem partibus pro tributo solverentur; sed nec sic mihi suppetunt necessaria; quomodo igitur possim uti illa lege Chen? Tum subjicit *Ten* jo: Si populus ea, quæ ad victum, vestitum, & habitationem sunt necessaria, affatim habuerit; qui fieri poterit, ut Rex non habeat? Contrà si populus non habuerit; qui fieri poterit, ut Rex habeat?

13. Discipulus *Tsu chan* petiit à Confucio modum virtutem virtuti accumulandi, & mentis errores discernendi. Confucius sic respondit: Animi candorem & veritatem imprimis spectare, & se ad exercendam æquitatem sedulò transferre, istud est virtutem virtuti accumulare. Deinde quos male amas, si hos cupis diu vivere; quos male odisti, si hos cupis citò mori; male amatos velle diu vivere, male exoscos vellè citò mori, istud maximus mentis est error & cæcitas; uti liber Carminum tom. *Siao* ya, odâ *Ngo bim ki ye*, ait: Certè non propter illius divitias, sed propter illius juventutem, affectum mutasti.

14. Regni *Cy* Regulus *Kim* *kun* interrogavit Confucium regendi artem. Rex, inquit, Regis; Præfectus, Præfectorum; Pater, Patris; Filius, Filii partes omnes compleat; & artem regendi tenes.

15. Optimè sanè dixisti, subjicit Regulus; ita reverè est. Et verò si nec Rex Regis, nec Præfectus Præfectorum, nec Pater Patris, nec Filius Filii partes compleverit, quamvis Regnum orizæ & frugum ubertate affluat, qui tamen ego possim illis tranquillè frui ac vesci?

16. Confucii effatum: Quis est, qui possit litigantium causas dimidio verbo dirimere? Ansio meus Discipulus *Ten*; cognomento *Tsu lu*. Deinde addunt

- adduit ejus Cōdiscipuli: *Tu tu suscepta alicujus causā, si poterat, non patiebatur vel unam noctem transire, quin ejus votis ficeret satis.*
17. Confucius de se solebat dicere: Audire & judicare litigantes, ego quidem non secus ac alii possum: quid enim difficultatis? Sed numquid oportet efficere, ut non litigent? (Hos scilicet docendo patientiam, modestiam, mansuetudinem, honestatem.) Hoc autem maximè difficile.
18. Discipulus *Tu chān* interrogavit Confucium artem regendi. Respondit Confucius: Populum alere & instruere indefessè conare; conatum sincerè exequere.
19. Confucii effatum: Sapientiae Alumnus, qui vastè suum studium ad libri Carminum, & Annalium Imperialium notitiam, atque ad sex artium exercitationem extendit, ac posteà hæc omnia juxta honestatis leges in agendo accuratè restringit, is potest acquirendæ perfectioni nîl contrarium committere.
20. Confucii effatum: Sapiens, laudabile opus aggredientem hortatur ad perficiendum, turpe ad relinquendum. Insapiens, contrà.
21. Primarius Regni *Lu* Præfектus *Ki kam* interrogavit Confucium artem regendi. Cui Confucius: Regere, inquit, est rectum efficere. Si tu, Domine, dux rectus fueris, ecquis audebit non rectus esse?
22. Idem Præfектus *Ki kam*, cùm doleret multos in Regno latrones grassari, petiit à Confucio modum illos extinguendi. Respondit Confucius: Si tu, Domine, non fueris opum cupidus; mox populi, nè præmio quidem, ad furtæ impelli poterunt.
23. Si autem, subjicit idem *Ki kam*, rursus rogans rectam regendi artem, nefarios illos homines, ut bonorum virtus perficiatur, morte suistulero; quid? Cui Confucius: Quid, quæso, Domine, opus est cædibus ad regendum? Tu Domine, probitatem ama, mox populi & hanc amabunt. Superiorum virtus, est velut ventus; Inferiorum, velut herba. Si ventus herbis incubuerit, mox illæ inflectuntur.
24. Discipulus *Tu chān* Confucium interrogavit, quomodo Sapientiae Alumnus possit dici liberum ad omnes habere accessum? Quid est, reponit Confucius, quod vocas liberum ad omnes habere accessum? Qui magnâ, subjungit *Tu chān*, claret famâ; foris in Regno bene audit, domi inter Parentes bene audit, ubique bene audit. Tum Confucius; Bene audire, inquit, non est liberum ad omnes accessum habere.
25. Liberum ad omnes accessum habere, est recta iadole pollere, æquitatem amar-

amare, cautè aliorum verba p̄p̄pendere, & illorum vultus tacitè inspi-  
cere, sollicitè se aliis submittere. Qui his dotibus præditus est, sive for-  
ris in Regno, sive domi inter Parentes existat, liberum ad omnes habet  
accessum.

26. Contrà qui tantum bene audire studet; qui specie tenus sectatur pietatē  
seu cordis rectitudinem, & in opere ubique illi adversatur; qui in  
aliorum consuetudine omnem cautelam & demissionem exuit, nihilque  
hesitans se in Magistrum erigit, is sepius & foris in Regno, & domi in-  
ter Parentes bene audit.

27. Discipulus *Fan chi*, cùm forte secutus fuisset deambulantem Confucium  
ad australē urbē *Ten chen* partē sub umbroso illo arborum tegmine  
dicto *Wu yu*, eum interrogavit modum virtutē virtuti accumulandi,  
pravas affectiones frænandi, mentis ertos discernendi. Cui Confu-  
cius: Præclara sane & optima quæstio! itaque responsum accipe: virtutis  
opus diligenter exercendum, primo loco ponere: virtutis effectum secu-  
turum, postremo; annon istud est virtutem virtuti accumulare? Deinde  
sua vicia fortiter oppugnare, aliena non temerè incusare; annon istud est  
pravas suas affectiones frænare? Denique propter subitam & momenta-  
neam iram suæ vitæ obliuisci, mortemque sibi ultrò arcessere, ita ut in  
Parentes damnum resiliat; annon istud est maximus mentis error?

28. Discipulus *Fan Chi* quæsivit ex Confucio, quis posset dici pius? Qui ali-  
os diligit, reponit Confucius. Deinde quæsivit quis posset dici prudens?  
Qui alios novit, reponit Confucius. Cum autem *Fan chi* id non satis  
caperet, sic fusiū suā mentem explicuit Confucius: Si quis rectos ho-  
mines ad munia evehat, pravos officiū vacuos relinquat, efficiet, ut pra-  
vi brevi evadant recti. Primum, addit Interpres, est effectus pruden-  
tiae; secundum pietatis.

29. Sed cùm nec sic Magistri mentem caperet *Fan chi*, reversus occurrit  
Condiscipulo *Tsu bia*; eoque salutato: Modò, inquit, agens cum Magi-  
stro Confucio, interrogavi, quis prudens dici posset? Si quis, reposuit,  
rectos homines ad munia evehat, pravos officiū vacuos relinquat, effi-  
ciet, ut pravi brevi evadant recti. Quid, quæsto, hoc significat? Tum  
*Tsu bia*: Vastissima sane sententia! Dum olim imperator *Xun* Imperium  
teneret, inter omnes Aulæ Proceres electum unum *Kao yao* extulit ad su-  
premati principi Ministeri dignitatē; hincque factum est, ut omnibus vir-  
tutem sequentibus, viderentur improbi, procul in exilium expulsi. Postea

- addunt ejus Condiscipuli: *Tsu lu* suscepta alicujus causâ, si poterat, non patiebatur vel unam noctem transire, quin ejus votis faceret satis.
17. Confucius de se solebat dicere: Audire & judicare litigantes, ego quidem non secus ac alii possum: quid enim difficultatis? Sed numquid oportet efficere, ut non litigent? (Hos scilicet docendo patientiam, modestiam, mansuetudinem, honestatem.) Hoc autem maximè difficile.
18. Discipulus *Tsu chao* interrogavit Confucium artem regendi. Respondit Confucius: Populum alere & instruere indefessè conare; conatum sincerè exequere.
19. Confucii effatum: Sapientiae Alumnus, qui vastè suum studium ad libri Carminum, & Annalium Imperialium notitiam, atque ad sex artium exercitationem extendit, ac poste à hæc omnia juxta honestatis leges in agendo accuratè restringit, is potest acquirendæ perfectioni nîl contrarium committere.
20. Confucii effatum: Sapiens, laudabile opus aggredientem hortatur ad perficiendum, turpe ad relinquendum. Insapiens, contrà.
21. Primarius Regni *Lu* Præfектus *Ki kam* interrogavit Confucium artem regendi. Cui Confucius: Regere, inquit, est rectum efficere. Si tu, Domine, dux rectus fueris, ecquis audebit non rectus esse?
22. Idem Præfектus *Ki kam*, cùm doleret multos in Regno latrones grassari, petiit à Confucio modum illos extinguiendi. Respondit Confucius: Si tu, Domine, non fueris opum cupidus; mox populi, nè præmio quidem, ad furtâ impelli poterunt.
23. Si autem, subjicit idem *Ki kam*, rursus rogans rectam regendi artem, nefarios illos homines, ut bonorum virtus perficiatur, morte sustulero; quid? Cui Confucius: Quid, quæso, Domine, opus est cædibus ad regendum? Tu Domine, probitatem ama, mox populi & hanc amabunt. Superiorum virtus, est velut ventus; Inferiorum, velut herba. Si ventus herbis incubuerit, mox illæ inflectuntur.
24. Discipulus *Tsu chao* Confucium interrogavit, quomodo sapientiae Alumnus possit dici liberum ad omnes habere accessum? Quid est, reponit Confucius, quod vocas liberum ad omnes habere accessum? Qui magnâ, subjungit *Tsu chao*, claret famâ; foris in Regno bene audit, domi inter Parentes bene audit, ubique bene audit. Tum Confucius; Bene audire, inquit, non est liberum ad omnes accessum habere.
25. Liberum ad omnes accessum habere, est recta indeole pollere, æquitatem am-

namare, cautè aliorum verba p̄p̄endere, & illorum vultus tacitè inspi-  
cere, sollicitè se aliis submittere. Qui his dotibus prædictus est, sive fo-  
ris in Regno, sive domi inter Parentes existat, liberum ad omnes habet  
accessum.

26. Contrà qui tantùm bene audire studet; qui specie tenus sectatur pietati-  
rem seu cordis rectitudinem, & in opere ubique illi adversatur; qui in  
aliorum consuetudine omnem cautelam & demissionem exuit, nihilque  
hesitans se in Magistrum erigit, is s̄p̄ius & foris in Regno, & domi in-  
ter Parentes bene audit.

27. Discipulus *Fan chi*, cùm fortè secutus fuisset deambulantem Confucium  
ad australē urbis *Ten chea* partem sub umbroso illo arborum tegmine  
dicto *Vu yu*, eum interrogavit modum virtutem virtuti accumulandi,  
pravas affectiones frānandi, mentis ertores discernendi. Cui Confuci-  
us: Præclara sanè & optima quæstio! itaque responsum accipe: virtutis  
opus diligenter exercendum, primo loco ponere: virtutis effectum secu-  
turum, postremo; annon istud est virtutem virtuti accumulare? Deinde  
sua via fortiter oppugnare, aliena non temerè incusare; annon istud est  
pravas suas affectiones frānare? Denique propter subitam & momenta-  
neam iram suæ vitæ obliuisci, mortemque sibi ultrò arcessere, ita ut in  
Parentes damnū resiliat; annon istud est maximus mentis error?

28. Discipulus *Fan Chi* quæsīt ex Confucio, quis posset dici pius? Qui ali-  
os diligit, reponit Confucius. Deinde quæsīt quis posset dici prudens?  
Qui alios novit, reponit Confucius. Cùm autem *Fan chi* id non satis  
caperet, sic fusiū suam mentem explicuit Confucius: Si quis rectos ho-  
mines ad munia evehat, pravos officio vacuos relinquat, efficiet, ut pra-  
vi brevi evadant recti. Primum, addit Interpres, est effectus pruden-  
tiae; secundum pietatis.

29. Sed cùm nec sic Magistri mentem caperet *Fan chi*, reversus occurrit  
Condiscipulo *Tsu bia*; eoque salutato: Modò, inquit, agens cum Magi-  
stro Confucio, interrogavi, quis prudens dici posset? Si quis, reposuit,  
rectos homines ad munia evehat, pravos officio vacuos relinquat, effi-  
ciet, ut pravi brevi evadant recti. Quid, quæso, hoc significat? Tum  
*Tsu bia*: Vastissima sanè sententia! Dum olim imperator *Xun* Imperium  
teneret, inter omnes Aulæ Proceres electum unum *Kao yao* extulit ad su-  
premati primi Ministri dignitatem; hincque factum est, ut omnibus vir-  
turem sequentibus, viderentur improbi, procul in exilium expulsi. Postea

dum Imperator Chm tam Imperio potiebatur, electum etiam ex omnibus unum T in extulit ad supremam primi Ministri dignitatem; hisac pariter factum est, ut omnibus, virtutem sequentibus, viderentur improbi procul in exilium expulsi.

30. Discipulus Tsu kum interrogavit Confucium amicitiae leges. Cui Confucius: Peccantem amicum sincerè commone; si tuis monitis nihil proficias, desiste; nè tibi injuriam aut probrum arcessas.
31. Discipuli Tsu kum effatum: Sapiens litterarum exercitatione amicos frequentat, & amicorum frequentatione suam pietatem seu virtutem adjuvat.

### ARTICULUS XIII.

1. Discipulus Tsu lu quæsivit ex Confucio optimum regendi modum. Cui Confucius. Ut alios doceas rectè vivere, ipse prius rectè vive; ut alios fatiges in opere, te in eodem fatiga. Quid, quæsto, amplius? reponit Tsu lu. Cui Confucius: Hoc indefessus constanter age.
2. Discipulus Chm kum, agens Praefectum cuiusdam oppidi, quod præfatio Regni Lu Praefecto Ki subjacebat, interrogavit Confucium optimum regendi modum. Ante omnia, inquit Confucius, suum unicuique officium distribue; leves culpas facile condona; viros industrios ac sapientes ad munia evehe. Quonam pacto, subjungit Chm kum, viros industrios ac sapientes potero cognoscere, ut illos promoveam? Cui Confucius: Quos, inquit, cognoscis, hos promote; quos autem non cognoscis, putasne eos ab aliis ita relinquendos, ut illorum industriam ac sapientiam tibi notam non faciant?
3. Regni Guei Regulus Lim kum habebat filium Quay ray, qui patrem & novercam suim offendierat, ideoque aufugerat in Regnum Cin. Interim cum obiisset Regulus Lim kum, acclamatus est Regulus, hujus Principis Quay ray filius Che. Quare Princeps Quay ray, in Patriam cum exercitu redux, voluit paternum Regnum armis capessere; sed victus, retrò abire coactus est. Novus ergo hic Regulus Che in tabulis & in omnibus Actis publicis suum Avum Lim kum semper nuncupabat Patris nomine, suppressus verum Patris Quay ray nomen. Id temporis accidit, ut Confucius ex Regno Tsou reversus, illuc appelleret, invenitque Discipulum suum Tsu lu, Magistratu ibi donatum. Hic Tsu lu eo salutato: Jam prideam, inquit, hujus Regni Guei Regulus Che te, Magister, expectat, ut te ad Regni regimen adinoveat. Sed quid, quæsto, Magister, in hoc regime primum

anum sollicitabis? Cui Confucius: Numquid id primum sollicitandum est, ut vera nominis appellatio, quæ nunc perturbatur, statim reparetur? Mox reponit *Tsu lu*: Enimvero id magni interest? Pace tua, Magister; dicere liceat: haec mens longè à rei cardine abest. Ad quid juvat illa veri nominis reparatio? Tum acriter cum arguens Confucius: Incolitus, inquit, & rufus es vir, mi *Chou* *yen*; insulta semper effutis. Sapiens in iis, quæ non intelligit, dubitare saltem novit. Nunc ergo rem accipe:

4. Si vera nominis appellatio non reparetur, verba in tabulis publicis ac iussis non erunt recta; si verba non sint recta, negotia non erunt perfecta; si negotia non sint perfecta, seu non ritè perficiantur, Rituum ac Musicae leges non vigebunt; si Rituum ac Musicae leges, utpote ad disponenda negotia &c ad conjungendos animos accommodatae, non vigeant; pœnæ in plectendis delictis non erunt æquæ; si pœnæ in plectendis delictis non sint æquæ, populi non habebunt, in quo tuti pedem figant, nec ad quid securè manum extendant.

5. Quocircà Sapiens, ut aliquid nominet, debet videre, an verè isto nomine appellari possit? ut loquatur, debet videre, an verba sua verè possint opere compleri? Hinc Sapiens, nè quid temerè loquatur, diligentissime vigilat.

6. Discipulus *Fan chi* rem agrariam ad bonum regimen maximè necessariam arbitratus, sic interrogavit Confucium: Ego, inquit, qua arte agros serrere oporteat, lubens addiscerem; me, quæso, edoceas velim. Cui Confucius: Istam ego artem non calleo sicut veterani illi aratores, à quibus eam melius addisces. Tura ratus rem hortensem paulò esse facilitorem, sic cum rursus interrogat: Qua saltem arte hortum colere oporteat, lubenter addiscerem; me, quæso, edoceas velim. Cui iterum Confucius: Nec istam ego artem calleo sicut veterani illi olitores, à quibus eam melius addisces. Cum autem hic *Fan chi*, seu *Fan sui* egressus fuisset; tum Confucius ad adstantes: Quām verè homunculus est ille *Fan sui*! deinde sic pergit:

7. Si vir Princeps amet honestatem; nemo est, qui reverenter eum non collat; si aequitatem; nemo, qui lubenter ei non obediatur; si veritatem, nemo, qui verè eum non diligat. Cum res ita se habent; tunc populi ex quatuor Imperii partibus allecti, filiolos suos fasciis involutos humeris imponunt, & ad colendos agros, illic habitaturi ultrò adveniunt. Quid

igitur opus est, ut vir princeps coloni artem calleat, & sua manus agros serat?

8. Confucii effatum: Sit vir, qui totum Carminum librum, 300. Articulos continentem, memoriter sciat: si iis, quæ scit, nesciat ad regimen sibi commissum uti; si dum Legatus in quodvis Regnum mittitur, nullum ex se responsum dare queat; quamvis sanè multa memoriter sciat, quid tamen hæc illum juvant?

9. Confucii effatum: Superiori recto, etiam absque mandato, obeditur; pravo, nè cum mandato, obtemperatur.

10. Confucius deplorans malum Regnorum *Lu* & *Guei* regimen, sic aiebat: Eheu! ista duo regna *Lu* & *Guei* in suo regimine se esse germanos verè demonstrant! quia nimirum ista duo Regna à duobus fratribus *Chen* *kum* & *Kam* *xo*, Principis *Yen* *yam* filiis, condita fuerant; *Chen* *kum* secundò genitus filius, donatus fuerat Regno *Lu*; & *Kam* *xo* tertio genitus, donatus Regno *Guei*.

11. Confucius sic in laudes primarii Regni *Guei* Præfecti *Kam* *tsu* *kim* erupit: Præfector ille pacificè vivendi artem bellissimè noverat: dum olim vietus ac vestitus vix ei suppetebat, suāmque fortunam inchoabat, ille hilaris aiebat: Nunc equidem satis opum utcumque accumulavi. Postea cùm sensim crescentibus facultatibus paulò plus haberet, tunc iterum aiebat: Nunc profectò divitiis utcumque affluo. Denique cùm mediocres divitias sibi comparasset, tunc aiebat: nunc sum omnino dives, nihilque addi potest.

12. Dum iret in Regnum *Guei* Confucius, Discipulus *Gen* *yeu* currum ejus regebat. Confucius maximam populi istius frequentiam conspicatus: Quàm innumerabilis, inquit, gens ista! Tum *Gen* *yeu* sic eum interrogat: Princeps ubi in multis sic habet populos, quid amplius præstare oportet? Oportet, reponit Confucius, ut illos daret. Illis datus, quid amplius? subjungit *Gen* *yeu*. Oportet, inquit, ut illos instruat.

13. Confucius dolens Regnum *Guei* tam male regi, aiebat: Certè si Regulus ille me uno dumtaxat anno uti vellet, spero fore ut totum istud Regnum novam faciem indueret; si autem tribus annis, ausim polliceri omnia, quæ ad rectam & morum & regiminis normā spectant, me posse perficere.

14. Confucii effatum: Antiquo proverbio dicitur: Si probus Princeps centum annis Regnum continuāris, hic quosvis populos poterit sua probitate demulcere, & penas amovere. Quàm vera sanè hæc est sententia!

15. Confucii effatum: Quamvis Princeps sapiens imperio potiatur, ad obtinendam

timendam tamen absolutam in populis pietatem ac virtutem honestatem, opus est ad minimum 30. annis.

16. Confucii effatum: Si Rex fuerit rectus, ecquid difficultatis habebit ad rectificandos suos Præfectos? Si distortus, quomodo alios poterit rectos reddere?

17. Confucii Discipulus *Gen yen* præterat cūdam oppido, quod primario Regni Lu Præfecto *Ki* subjacebat. Accidit, ut ex hujus Præfecti domo solito tardius rediret ad visendum Confucium. Idcirco Confucius: Cur, inquit, hodie tam scò? Reponit *Gen yen*: Consultandum fuit de aliquo Regni negotio. De illius nempe, subjicit Confucius, Præfecti *Ki* negotio. Si enim de Regni negotio consultandum fuisset, quamvis nunc ego Magistratum non geram, de eo tamen quidpiam audivissem.

18. Regni Lu Regulus *Tim kum* petiit ex Confucio, num posset uno verbo exprimi Regnum ad magnam gloriam evēhendi modus? Sic illi Confucius: Uno quidem verbo non potest ita certò id præfiniri; ceterū nunc vulgò homines dicunt: esse Regem, est difficile; Regni Ministrum, nec facile. Si Rex ergo sciat sustinere Regis onus, esse quid difficile, annon potest hoc uno verbo satis certò præfiniri Regnum ad magnam gloriam evēhendi modus.

19. Etiāmne, pergit Regulus *Tim kum*, uno verbo posset exprimi Regnum ad magnam miseriam redigendi modus? Sic illi Confucius: Nec id uno verbo certissimè potest præfiniri; ceterū vulgò nunc dicunt homines: Ego sanè non gaudetem esse Rex; sed si essem Rex, vellem, ut mihi vel unicum verbum proferenti nemo auderet aversari. Si ergo illi, recta loquenti aut imperanti, nemo aduersetur, numquid hoc bene? Si autem prava loquenti aut imperanti nemo aduersetur, numquid hoc uno verbo sat certò potest præfiniri Regnum ad magnam miseriam redigendi modus?

20. Primarius Regni Tsou Præfector Xe *kum* interrogavit Confucium artem regendi. Sic Confucius: Vicini populi te rectore gaudeant, remoti ad te veniant.

21. Discipulus *Ishu bis* agentis oppidi *Kiu* su Præfectum, interrogavit Confucium optimum regiminis modum? Sic Confucius: Nè velis, ut res festinè fiant; nè inhies exiguo lucello. Qui enim vult, ut res festinè fiant, non potest eas satis perpendere; & qui inhias exiguo lucello, res grandes amittit.

22. Primarius Regni Tsou Præfector Xe *kum*, colloquendo cum Confucio,

- aiebat: Certe in mea Patria sunt quidam homines mirum in modum recti. Nuper alienam ovem pater quidam clavis surripuerat; filius mox patris furtum patefecit. Sic autem illi Confucius: Recti homines in mea Patria sunt longè ab his diversi. Pater enim filii, filius patris culpam occultare conatur. Et certè vera recti ratio in hoc sita est.
23. Discipulus Fan cbi quæsivit ex Confucio sectandæ pietatis modum. Sic illi Confucius: Dum solus agis, serva modestiam; dum rebus vacas, serva diligentiam; dum alios frequentas, serva candorem. Quamvis inter barbaras gentes verseris, non debes has virtutes negligere.
24. Discipulus Tsu kum interrogavit Confucium, quis posset dici sapientia Alumnus? Sic illi Confucius: Qui honestatem amat, turpitudinem erubescit, missus in quodvis Regnum legatus, Principis sui jussum pro bro non afficit, hic potest dici sapientia Alumnus. Sed paucos, reponit Tsu kum, hujusmodi reperire est: ausim petere, an dentur alii paulò inferioris ordinis? Quem, inquit Confucius, omnes sui Consanguinei Parentum cultorem, omnes sui concives Superiorum veneratorem vocant, hic potest in secundo sapientia Alumnorum ordine reponi. Ausim iterum, subjungit Tsu kum, percunctari, ecquis possit in tertio annumerari? Cui Confucius: Qui, inquit, verba sua tenaciter adimplere, & cœpta sua tenaciter perficere vult, quamvis hæc lapidea firmitas hottiunculum tantum deceat, is tamen etiam vel sic potest in tertio sapientia Alumnorum ordine numerari. Denique idem Tsu kum rursus sic percunctatur: Isti ergo Praefecti, qui nunc regimini præsunt, quid? Tum suspirans Confucius: Heu! vasa illa angusta, vaniloqui illi unius carthalli homunciones, quonam sanè modo possint inter sapientia Alumnos annumerari.
25. Confucii effatum: Quandoquidem Discipulos immutabile virtutis Medium sectantes obtinere nequeam, num quid debeo vel eos, qui plus volunt, quam faciunt; vel eos, qui plus faciunt, quam sciunt, instruendos eligere? Illi enim ab altiori semper sumunt exempla vivendi; hi, quod rationi dissonum est, semper agere reformidant; adeoque paullatim efficere potero, ut & hi & illi immutabile virtutis Medium attingant.
26. Confucii effatum: Australium Provinciarum incolæ vulgo dicunt: Homo inconstans ita parvum præstat, ut nè magiam quidem, aut medicam artem exercere valeat. Praclarum sanè effatum! Huic liber Te kim, cap. Qua rem, consentit sic: Virum, qui virtutem suam perseverantiam non coronat, quamvis ali-

*aliquandiu in eius via ambaleverit, in fine tamen opprobriam exciperet. Dein subjungit Confucius: Qui hujus loci sensum non penetrat, verborum tantum cortici adhaeret; qui autem penetrat, ianumeris vitiis se scatere animadvertis.*

27. Confucii effatum: Sapientis consuetudo cum omnibus concors, sed non cum omnibus eadem; contrà, Insipientis consuetudo cum omnibus eadem, sed non cum omnibus concors.

28. Discipulus *Tsu kum* sic Confucium interrogat: En vir, quem omnes sui concives amant, quid? Potestne credi esse sapiens? Minime, inquit Confucius. Contrà, reponit *Tsu kum*: En vir, quem omnes sui concives oderunt, quid? Potestne credi esse sapiens? Minime, inquit Confucius; præstat autem, ut omnes boni illum ament, & omnes mali illum oderint; tunc verè poterit credi esse sapiens,

29. Confucii effatum: Inservire Sapienti, facile est; Sapientem delectare, difficile; si enim iniquitate cum delectare volueris, hac non delectatur; sed ipse, dum quidquam aliis imperat, se semper cujusque viribus accommodat. Contrà, inservire Insipienti, difficile; Insipientem delectare, facile est; si enim iniquitate eum delectare volueris, mox hac delectabitur; sed ipse, dum quidquam aliis imperat, vult opus ex omni parte perfectum.

30. Confucii effatum: Sapiens est magnificus sine superbia; Insipiens est superbus sine magnificentia.

31. Confucii effatum: Vir fortis, constans, sincerus, taciturnus non procul abest à pietatis seu recti cordis via.

32. Discipulus *Tsu fa* interrogavit Confucium, quomodo quis posset dici sapientiæ Alumnus? Qui, inquit, sincero affectu, diligenti cohortatione, hilari affabilitate præditus est, hic potest dici sapientiæ Alumnus. Sincero, inquam, affectu, & diligenti cohortatione erga socios; hilari affabilitate erga Consanguineos.

33. Confucii effatum: Si probus Princeps septem dumtaxat annis populum instruxerit, hic optimè poterit dimicare; utpote fidus ac rectus.

34. Confucii effatum: Non docere suos populos artem militarem, est illos cum Regno perdere.

## ARTICULUS XIV.

I. **D**iscipulus *Tsu hie* rogavit Confucium, quid maximè probrosum

Præfe-

- Præfecto censem? Respondit Confucius: Sive bene, sive male Regnum gubernetur, nihil aliud satagere, quam sua stipendia comedere, hoc maximè probrosum Præfecto censeo.
2. Dein sic rursus percunctatur: Qui nec ambitiosus, nec jactabundus, nec iracundus, nec avarus est, potestne dici pius? Potest quidem dici, ait Confucius, rem difficultem agere; sed sitne pius, an non? ego ignoro; quia nimis pietas in corde latet.
3. Confucii effatum: Regno florente Sapiens debet esse magnanimus & ad loquendum & ad agendum; squalente, magnanimus quidem ad agendum, sed modestus ad loquendum.
4. Confucii effatum: Sapientia Alumnus, qui assiduè studet commoda habitationi, non potest dici verus sapientia Alumnus.
5. Confucii effatum: Qui in corde virtutem tenet, continuò in verbis eam prodit; non autem, qui in verbis virtutem prodit, continuò in corde eam tenet. Deinde qui in corde pietatem tenet, continuò fortitudinem in opere prodit; non autem, qui fortitudinem in opere prodit, continuò pietatem in corde tenet.
6. Discipulus *Nan kum quo*, sive *Nan yum* sic interrogavit Confucium: Regni *Tsui kiam* Regulus *T* jaculandi & bellandi artem ita callebat, ut Imperium sive totam Monarchiam sibi vindicaret. Deinde hujus primus Minister *Han so* habebat filium *Ngao* adeò robustis viribus præditum, ut insicca humo navem solus traheret. Hi ambo, quamvis fortissimi, non potuerunt tamen ita cælestis Providentia cursu sequi, ut naturali sua morte defungerentur. Siquidem ille Princeps *T* à perduelli *Han so* suo Ministro & Successore interfactus est; hic *Ngao* post patris obitum, extremo supplicio affectus ab Imperatore *Xao kam*, Imperialis Familiae *His* herede. Contrà verò Princeps *T* exsiccandis paludibus; & Princeps *Cie* rei agrariae promovendis, quamvis rebus minoribus operam navarent; ille tamen *Tsui* in Imperium successit Imperatori *Xun*; hujus *Cie* Posteri *Lu nam* & *Chim nam*, reliquique Familiae *Ches* Principes Imperio etiam potuerunt. Unde, quæso, factum est, ut illi *T* & *Ngao* fortissimi Duces Imperiatis cum vita amiserint; hi autem *Tsui* & *Cie* viribus & potestate minores, Imperium adepti conservârint? Ad hanc quæstionem Confucius nihil respondit; sed cum egressus fuisset iste *Nan kum quo*, qui his verbis tacite asserebat, divinam Providentiam virtuti, non hominum viribus conserve Imperium; in ejus laudes sic erupit: Ubi nata sapientem virum, ut hunc,

hunc, reperias ! ubinam, inquam, justum virtutis estimatorem, ut hunc, invenias.

7. Confucii effatum : Sapientem, qui subinde pietatem leviter offendat, reperire est ; sed Insipientem, qui subinde pietatem verè servet, nusquam reperias.

8. Confucii effatum : Pater filii amans, potestne peccantem filium non castigare ? Minister Regi fidus, potestne errantem Regem non instruere ?

9. Confucii effatum : Regnum *Chim*, licet exiguum, suorum Ministrorum sapientia bellissime se conservat : v. gr. dum est mittenda legatio, pro componendo legationis diplomate, hi quatuor concurrunt : prudens *pi-xin* ruditer illud delineat ; peritus *xi-xo* fusè exponit ; exercitatus *tsu-yu* venustè adaptat ; facundus *Tsu-chan*, ex pago *Tum-li* oriundus, cloqueanter exornat.

10. Fortè quidam rogavit Confucium, quid de Principe *Tsu-fi* Regni *Tsou* Reguli fratre & primo Ministro, qui se Regis nomine sinebat appellari, sentiret ? Enimvero ille vir ! reponit Confucius ; enimvero ille vir ! nō in bonam aut malam partem asserens.

11. Alius quidam quæsūt ex Confucio, quid de Præfecto *Tsu-chan*, qui sat rigidus justitiae custos erat, sentiret ? Vir est, inquit Confucius, in populum beneficus.

12. Iterum alius interrogavit Confucium, quid sentiret de rēgio Ministro *Quon-chum*, qui suum Regni Cy Regulum in pacandis totius Imperii Regulis plurimum adjuverat ? Vir ille, reponit Confucius, in capandis aliorum animis mirè excellebat : Regulus enim *Yon-kym* primarium patris sui Ministrum, cognomine *Pe*, quia in se deliquerat, officio abdicavit ; oppidūmque *Pien*, quod illi dederat, 300. domibus populosuin abstulit ac transfusit in primum suum Ministrum *Quon-chum*. Postea autem ille Reixa ad extremam paupertatem redactus est, ut vix vilissima oriza ei ad vitium suppeteret. Toto tamen vita tempore, quo hæc inopia duravit, nunquam auditus est in ulla aut iracundiæ aut impatientiæ verba erumpere contra Ministrum *Quon-chum*.

13. Confucii effatum : Pauperem non irasci, difficillimum ; divitem non superbire, facilius.

14. Confucii effatum : Ille primarius Regni nostri Præfetus *Men-kum-cho* ad agendum pacificum quemdam domūs Administrum, vel in ipsis clarissimis Regni *Qin* Familis *Chao* & *Gwei*, satis & plusquam satis virium ac industrix

15. duxit h[ab]et; sed ad agendum primarium Regni Praefectum, t[em]p[or]e in i[ps]is quidem T[em]p[or]e & S[ecundu]m parvulis Regnis, sat habet.
16. Discipulas Ts[un] h[ab]et interrogavit Confucium, quid opus esset, ut quis posset dici vir omnibus numeris absolutus? Respondit Confucius: Si quis habuerit summam Praefecti Ts[un] u[er]o chum perspicacitatem, singularem Praefecti Mem kum ch[an] temperantiam, intrepidam urbis Pien dynastie Chu fortitudinem, innumerabiles mei Discipuli Gen.kies scientias: deinde si has virtutes juxta Rituum ac Musice leges ita temperarit, ut medium teneat, hic potest dici vir omnibus numeris absolutus.
17. Dein addit: Sed ut nunc habeatur vir omnibus numeris utcumque absolutus, quid opus est tam sublimi perfectione? si quis, dum videt lucri occasionem, solùm statuat sequi æquitatem; dum vider pericula, vitam pro Patria & justitia ponere non timeat; dum pactum iniit, nunquam illius, diuturni licet, obliviscatur, hic nunc temporis potest dici omnibus numeris utcumque absolutus.
18. Primarius Regni Gaei Praefectus Kum xo ven vir erat taciturnus, modestus, lucri minime avidus. Confucius agendo cum quodam ejusdem Regni incola, dicto Kum mim kia, sic eum interrogat: Ego audivi verrum illum Praefectum nec loqui, nec ridere, nec quidquam ab aliis accipere; dic, precor, itane est? Ille, qui tibi id retulit, reponit Kum mim kia, tem exaggeravit. Noster enim ille Praefectus, dum tempus verbâ exigit, loquitur; atque ita ejus verba alii non fastidiunt; dum res risum exigit, ridet; atque ita ejus risum alii non fastidiunt. Dum æquitas acceptioem exigit, accipit; atque ita ejus acceptioem alii non fastidiunt. Quibus auditis Confaciens, quasi adhuc dubius: itane, inquit, revera est? Quomodo, quæso; eam perfectionem consecutus est?
19. Primarius quidam Regni Lu Praefectus Ts[un] u[er]o chum, cum in Patriam deliquerisset, ex suo feudatorio oppido Fam in Regnum Chu profugit. Postea armatus rediit in hanec suam ditionem Fam; unde delegavit viros ad Regni Lu Regulum, petens, ut vellet suis Posteris instituere perpetuos ha[bi]tus oppidi Fam heredes; quo obtento, relicto illic filio, rursus abiit in Regnum Chu. Hac super re sic ait Confucius: Praefectus Ts[un] u[er]o chum hoc hereditatis ius pro suis Posteris à Regulo postulans, quamvis diceret: nolo ego Principem ad hoc impetrandum vi terrere ac cogere, sed tantum supplex rogo; non id tamen ego credo.
20. Olim Regni Cy Regulus Yon kum; deinde hoc defuncto, Regni Cm Regulus

lus *Von kum* in pacandis totius Imperii Regulis, & in iis ad clientelare Imperialis Familiae *Cheu* obsequium reducendis, egregiam navagant operam; idemque uterque dictus est Regulorum dux seu Archon, Sinicè *Pa*. De his itaque duobus agens Confucius, sic ait: *Regulus Von kum* insidius, non rectâ viâ; *Regulus Von kum* rectâ viâ, non insidius, res moliebatur. Ideò hic illo superior.

**Nota:** Celebres Regulorum Duces sive Archontes, Sinicè *Pa*, hi quinque numerantur: primus *Quon ngu*, sub Imperio *Hia*; 2. *Ta pem*, & 3. *Xi guei*, sub Imperio *In*; 4. *Von kum*, & 5. *Von kum*, sub Imperio *Cheu*.

20. Regni Cy. Regulus *Siam kum* male Regnum administrabat; ideo ejus ex fratre *nepos Vu chi* deficere, milites cogere, arma inferre; Princeps *Siao pe*, posteà dictus *Von kum*, & Reguli *Siam kum* primogenitus filius cum primario Regni Ministro *Pao xo ya* profugit in Regnum *Kiu*. Interim parricidali madu occiditur Regulus *Siam kum*. Hujus filius secundogenitus *Kum tsu kieu* cum duobus primariis Praefectis *Quon chum* & *Chao ho* se recepit in Regnum *Lx*. Sublato posteà parricidâ, uterque frater armatus hinc, & hinc Regnum repetit, & alter in alterum dimicat. Princeps *Von kum* partâ victoriâ, jussu & minis cogit Regni *Lx* Regulum, ut fratrem suum minorrem *Kum tsu kieu* illuc profugum interficiat; vincitosque sibi mittat duos illos Praefectos *Quon chum* & *Chao ho*, qui pro fratre contra ipsum dimicabant. Quo comperto *Chao ho*, vitam sibi laqueo adimit, solusque *Quon chum* appulit vincetus. Sed mox hunc solvit Princeps *Von kum*; quin immò ad supremam primi sui Ministri dignitatem eveyit, id suadente fido suo Ministro *Pao xo ya*. Jam verò Confucii Discipulus *Tsu lu* sic interrogat: Regulus *Von kum* jussit interfici fratrem suum *Kum tsu kieu*, vincitosque sibi adduci Praefectos *Chao ho* & *Quon chum*, qui adversùs ipsum diamicabant. Sed *Chao ho* maluit mortem, quam vincula pati, vitamque sibi ademit: *Quon chum* non ausus est cum collega pro Principe suo *Kum tsu kieu* mori. Numquid potest ergo dici pietate & fidelitate erga Principem suum caruisse? Confucius sic illi reponit: Regulus *Von kum* prorecturus Imperialem Familiam *Cheu* adversus Regulos ubique deficientes, quos brevi ad clientelare obsequium omnes reduxit, non militibus & quadrigis, sed æquitate & pietate usus est. Verum id omne viribus & industrize ejus Ministri *Quon chum* debetur. Ubinam ergo in Patriam pius, sicut ille, inveniri possit? Ubi, inquam, in Patriam pius, sicut ille, inveniri possit?

21. Deinde Discipulus *Tsu kum* etiam hac super re interrogavit Confucium: Annon, inquit, Praefectus ille *Quon chum* pietati & fidelitati erga suum Principem defuit? Regulus *Yon kum* jussit interfici fratrem suum *Kum tsu kien*; ille Praefectus non tantum non ausus est pro suo Principe *Kum tsu kien* mori: Sed etiam Regulum *Yon kum* Principis sui imperfectorem adjuvit, primumque ejus Ministrum egit. An tu ignoras, respondit Confucius, magna Praefecti *Quon chum* in Patriam merita? Hic enim primum Reguli *Yon kum* Ministruum agens, ita cum adjuvit, ut brevi omnium Regulorum dux evaderet, & ferocientem Regni *Tsu* Regulum ad se Imperatori subdendum cogeret: denique omne Imperium in viam rectam reduceret. Et certè ad hæc usque tempora omnes populi illius beneficiis perfruuntur. Si enim Praefectus ille *Quon chum* in mundo non fuisset, nunc nos omnes exterarum gentium more, solutum capillorum cincinnum ab occidente in humeros dependentem, & togam à lævo latere fibula collectam inculti gestaremus. Quod autem ipse unà cum suo Principe *Kum tsu kien* non occubuerit; numquid sanè & hoc rectè egit? an forte facere debuerat, ut illi viles homunculi & mulierculæ, quæ, ut frivolum fidem tenaciter servasse dicantur, se in aqueum canalem præcipites agunt, & undis se suffocant? nec postea, qui id sciat, aut celebret, reperias hominem.
22. Primarius Regni *Guei* Praefectus *Kum xo ren* habebat domūs suæ Administrum quemdam nomine *Chuen*, virum sapientem & industrium; idcōque Regulo eum proposuit, ut ad eamdem secum primarii Praefecti dignitatem evehheret; quia obtenta, pari gressu unà cum priore suo Domino *Kum xo ren* Reguli palitium adibat. Deinde Praefectus ille *Kum xo ren*, post mortem donatus est cognomento *Chim hoei ren*, id est, rectus, beneficis, perspicax, seu absolutus. Confucius cùm præclarum hoc factum audivisset, sic in ejus laudes erupit; Praefectus ille eximio cognomento *I'en* verè dignissimus fuit.
23. Cùm forte misceret sermonem Confucius de malo Reguli *Liu kum* regimine in suo Regno *Guei* administrando, primarius Regni *Lu* Praefectus *Ki kam*, qui aderat, sic eum interpellavit: Cùm hæc ita sint, inquit: qui fieri potest, ut suam dignitatem cum Regno non amittat? Non amittit, respondit Confucius, quia ad res administrandas horum trium virorum operâ uritur: *Chum xo yu* ad excipiendos Legatos, *Cho ro* ad ritus parentalis Aulæ dirigendos, *Van sun kia* ad militiam curandam. Que dum ita se habent, qui possit dignitatem suam cum Regno amittere?

24. Confucii effatum: Qui audacter promittit, difficulter adimpler promissa.
25. Primarius Regni Cy Präfectus Chin chim clam defectionem moliebatur.  
 Cùm id rescivisset Regulus Kien kym præcipit suo primo Ministro Kan chi,  
 ut perduellem interficiat; sed hoc subodoratus Chin chim, illum Kan chi,  
 deinde suum Principem Kien kym interficit. Quoꝝ audito Confucius, mox  
 præmissâ abstinentiâ & corpore loto, adit Regni Lu Regulum Ngay ky m, ei-  
 que immane facinus refert. En, inquit, perduellis ille Chin chim violentas  
 suo Principi manus injecit, crudeliterque eum interfecit; eia age, scelus  
 vindica. Hoc defer, Regulus subjicit, tribus meis Präfectis primariis,  
 (nempe Mem sun, Xo sun, Ki sun, penes quos totum erat Regni régimen.)  
 Confucius hoc responso paulum exacerbatus, aulâque egressus: ego, in-  
 quid, quamvis nunc Magistratum non geram, post primarios tamen Regni  
 Präfectos primo loco venio, ideoque non potui tantum scelus non defer-  
 re Principi; ille autem ait: Hoc defer tribus meis primariis Präfectis, quid?
26. Ceterum dicto obsequens Confucius, adit tres illos Präfectos; scelus  
 narrat; commonet officii; stimulat ad vindictum; sed hi nec expedire,  
 nec fieri id posse responderunt. Tum Confucius: Quamvis ego nunc  
 Magistratum non geram, post primarios tamen Präfectos primo loco ve-  
 nio, ideoque non potui tam immane facinus non deferre.
27. Discipulus Tsu lu interrogavit Confucium, quomodo primarium Regni  
 Ministrum oporteat suo Regi inservire? Regem, inquit, non decipiat,  
 sed peccantem confidenter admoneat.
28. Confucii effatum: Sapiens res altas, insapiens res infimas penetrat.
29. Confucii effatum: Prisci sapientiae disciplinis vacabant propter se, (id  
 est, ad cognoscendam veritatem, & ad virtutem consequendam;) recentes,  
 propter alios, (id est, ad famam aucupandam, & ad honores opésque adi-  
 piscendas.)
30. Primarius Regni Gwei Präfectus Kiu pe yo Confucium nuper illuc appul-  
 sum liberali hospitio exceperat. Cùm autem in Patriam Lu rediisset  
 Confucius, ille honoris ergo misit viros, qui de Confucii salute, rerum-  
 que statu inquirerent. Appulsoſ, unaque considere jussos humaniter sic  
 interrogat Confucius: Ecquid nunc rerum vester Herus agit? Noster,  
 inquiunt, Herus conatur quotidie suas culpas imminuere, sed ad opta-  
 tum finem non potest pertingere; cùm hi egressi fuissent; tum Confuci-  
 us: egregii, inquit, sanè nuntii! egregii, inquam, sanè nuntii.
31. Confucii effatum: Quæ ad suum non spectant officium, regere non quæ-  
 rit Sapiens.

32. Deinde Discipulus Tscm iſu citavit hunc locum libri 7e him: *Sapientis cogitationes extra conditionis sua terminos non vagantur.*
33. Confucii effatum: Sapiens plus loqui, quam agere erubescit.
34. Confucii effatum: Sapientis perfectio tres virtutes complectitur; ast ego ne unam earum huc usque potui consequi: Vir sapiens, est pius sine iniquitate, doctus sine errore, fortis sine timore. Hæc cum audisset Discipulus Tſu kym: noster, inquit, Magister volendo Sapientis perfectiorem exprimere, verè seipsum expressit.
35. Discipulus Tſu kym ſapè solebat unum cum altero conferre, & utrumque dijudicare; quem ut argueret Confucius, sic ait: Egregius sanè meus ille ſe (ſe est nomen, Tſu kym cognomentum) est sapientia Alumnus! mihi certè non vacat aliorum mores ac vitam perpendere; sed ut in hi vacem, tempus vix suppetit.
36. Confucii effatum: Sapiens non dolet ſe ab hominibus nesciri, ſed dolet ſe nec omnem veritatem, nec omnem virtutem aſsequi poſſe.
37. Confucii effatum: Qui nec temerè praſagitat quod alter velit ipsum decipere, nec temerè praemeditatur quod alter mendacia in ipsum cudas; ſed potius, ubi tale quid imminet, naturali quadam luce velut objecṭo ante oculos ſpeculo, statim illud percipit, numquid hic verè Sapiens dici poſteſt?
38. Confucius varias Chinæ Provincias pergrans forte occurrit cuidam ſeniori cognomine Vi ſem, nomine Meu, qui ſic eum interpellavit: Quid fruſtrâ, Magister Kieu, huc illuc circumcursans ad tuam doctrinam propagandam, ita tenaciter tuo proposito adhæres? Numquid ſanè illud eſt velle verbosum agere. Non ego auſim, reponit Confucius, verbosum agere, ſed ego ſui judicii tenacem odi. Tacitè nimirum incusans iſtum ſeniorē privatæ vitæ ſuæ tenaciter adhærentem.
39. Confucii effatum: Famosus equus Ki, non quia viribus, ſed quia virtutibus excellebat, celebratus fuit. Ita nimirum vir sapiens.
40. Forte quidam ſic interrogavit Confucium: En aliquis me odio perſequitur; ejus ego odium virtute penſo, quid, Magister, censes? Si odium, reponit Confucius, virtute penſas, quomodo virtutem & beneficia penſabis? Quod quidem ego censeo, hoc eſt: odio in penſandum eſt aequitate, virtus penſandi virtute, amor amore, beneficia beneficiis.
41. Confucius volens inducere Discipulum Tſum kym ad interrogandum, ſic ait: Eheu! qui me ſciat, nemo eſt. Mox Tſu kym: ecce, inquit, nemo eſt,

est, qui te, Magister, sciat? Cui Confucius: Communem ego vivendi modum teneo; si Cælum mihi non faveat, Caro non irascor; si homines me abjiciant, de hominibus non conqueror; ex rerum insipiarum studio ad sublimium scientiam assurgo. Numquid ergo unum est Cælum, quod me novit?

42. Discipulus Iſu lu pretorem cuiusdam oppidi, quod primario Praefecto Ki ſun subjacebat, agebat; quidam autem ejusdem Regni Lu incola Kim pe leao apud Praefectum Ki ſun illi obrectavit; quod indignè ferens alius primarius Praefectus Iſu fo kim pe adiit Confucium, sicutque eum allocutus est? Praefectus Ki ſun falsis calumniatoris Kim pe leao criminacionibus impulsus suspectam habet praetorem suum Iſu lu. Hujusmodi obrectatores justitiae leges vivere non sinunt; si igitur placet, mihi adhuc satis virium est, ut hunc statim interficiam, ejusque cadaver in foro ante Reguli palacium ad propalandom calumniam projiciam.

43. Huic sic respondit Confucius: Tota Sapientis vita ab una Cæli lege dependet: prosperumne cursum ejus doctrina brevi habitura sit? an infelicitem? id Cæli lex sancit. Ecquid ergo potest obrectator ille Kim pe leao contra Cæli legem agere, & Discipulo meo nocere?

44. Confucii effatum: Viri sapientis quatuor sunt fugæ: Imperio squallente, fugit Magistratum; Regno tumultuante, fugit regionem; Principe immodesto, fugit aspectum; Principe iniquo, fugit affatum.

45. Confucii effatum: Eheu! tunc temporis quam inglorie jacebant Sapientes! ideo septem illi Heroës spretis dignitatibus privatam vitam elegerunt. (Quinam illi fuerint, non indicavit Confucius.)

46. Discipulus Iſu lu peregrè euntem Confucium secutus, cum vellet pernoctare in oppido Xe muen, accidit, ut urbicæ portæ custos sic eum interpellaret: Tu quis? & unde? Ex Confucii comitatu venio, reponit Iſu lu. Tum custos: Numquid vir ille est, qui, quod scit non posse fieri, vult tamen facere?

47. Confucius degens in Regno Gæi, cum forte instrumentum musicum Kim, tono internam animi tristitiam exprimente, pulsaret: accidit, ut quidam occultus sapientæ Alumnus, vimineum canistrum bajulans, præ foribus ejus transiret; audiensque sic triste pulsantem: quam multa, inquit, iste instrumenti Kim pulsator sub corde volvit!

48. Deinde addit: Numquid sanè contemptu digna est lapidea ista mensis firmas? videt enim se à nemine sciri, nec à quoquam suam doctrinam

recipi; tempus est ergo, ut à proposito desistat. Bellè liber Carmínūm com. Que sum, odà Pao yeu kou sic ait: Viator, dum sciuim accunque profundum offendit, suas bajulus v. stes illum transireat; si autem non sit profundus, vestes dimitaxat parumper atollens illum trajicit. Ita scilicet Sapiens, quid pacis, quid belli tempore sit agendum, videre debet:

49. Hac ubi rescivisset Confucius, sic ait; Certè sibi uni vacare, uti noster ille egregius bajulus, nulla est difficultas.

50. Discipulus Tsu chām sic interrogavit Confucium: Liber Xu kīm, sive Annalium Imperialium tom. 3. cap. Tae tīm refert, imperante Familia Xam Imperatorem Kao tīm rā tīm, post patris Siao ye obitum, totos tres annos, sepositā regiminis curā, velut mutum, in vili mapali degisse. Ecquæ, rogo, hujus loci explanatio? cui tunc parebant Præfecti? Quid, inquit Confucius, necesse est in medium proferre Imperatorem Kao tīm? omnes antiqui Imperatores sic egerunt. Olim Imperator simul atque obierat, omnes Præfecti & Magistratus continuantes suum officium, toto isto triennio parebant supremo totius Imperii Ministro.

51. Confuciū effatum: Dui Princeps honestatem amat, sine difficultate populis imperat.

52. Discipulus Tsu lu interrogavit Confucium, quis posset dici Sapiens? Qui omni cum diligentia, inquit Confucius, suos mores componit. Hocne sufficit? reponit Tsu lu. Debet, inquit Confucius, ita eos componere, ut aliis tranquillitatem afferre valeat. Hocne prorsus sufficit? iterum subjicit Tsu lu. Sufficit, inquit, si eos ita componat, ut non tantum uni Regno, sed & toti Imperio tranquillitatem afferre possit. Imò verò hac in re ipsius clarissimi Imperatores Yao & Xan aliquam adhuc animi ægritudinem passi sunt.

53. Confucius, cùm à quodam antiquo amico, dicto Yuen jam, inurbanè deflexis poplitibus desidenti exceptus fuisset, sic illum arguit: Nec puer, Seniorum cultor; nec vir, laude dignus; nec senex adhuc moreris; istud sanè est esse humani generis probrum. Hæc fatus, baculo inurbanè desidentis calcanea flagellavit ad cogendum assurgere.

54. Quidam Adolescens pagi Kuei tam venerat ad Confucii palestram. Confucius semper eum jubebat hospites excipere. Alius quidam ratus id singulari erga istum Adolescentem studio fieri, sic Confucium interrogat: Iste Adolescens haud dubiè ingentes faciet progressus. Eamverò progressus! reponit Confucius: Ego eum passim video æquali loco cum

Majoribus confidere; æquali passu cum Magistro incedere. Iste non querit progressus facere, sed querit virorum absolutorum jus præcipere; ideo eum sapientis ad excipiendos hospites mitto, ut urbanitatis & modestia leges addiscat.

## ARTICULUS XV.

1. Regni Greci Régulus *Liu k'um* plus bellicæ fortitudinis, quam recti regiminis amator, petuit à Confucio modum instruendi aciem. Cui Confucius: Quæ spectant ad Rituum vase, sive cannea, sive ligneæ, ego quidam parumper didici; sed quæ spectant ad militem & certaminæ, nondum ego ea didici. Mox die sequenti illinc abiit.
2. Confucius è Regno Greci appulsus in Regnum Ch'in cœpit commenatus & vietis inopia laborare. Hinc, qui eum sequebantur Discipuli, praefame agotare, & vix ullus præ infirmitate poterat surgere. Hujus penarize impatiens Discipulus *Tsu lu*, erumpente è vultu ira, ergone, inquit, hujusmodi paupertatem etiam patitur Sapiens? Cui Confucius: Sapiens, ubi paupertate premitur, constanti; Insipiens, ubi paupertate premitur, effreni animo eam patitur.
3. Confucius, instructurus suum Discipulum *Tsu k'm*, nimis multa addiscere ardenter, sic cum alloquitur: Charissime *Sz*, (cognomento *Tsu k'm*) putasne me malo studio & memoriae usu ea, quæ scio, didicisse? Uci que, reponit *Tsu k'm*; ammon ita est? Minime, inquit Confucius, ego uni dumtaxat vacando, (scilicet cordis rectitudini) cetera omnia aequaliter.
4. Confucius sic Discipulum *Tsu lu* alloquitur: Charissime *Sz*, (cognomento *Tsu lu*) qui verè virtutem nōrint, quam nunc pauci sunt?
5. Confucii effatum: Qui quasi nihil agendo potuit optimè gubernare, annod reverà Imperator *Xian*? & verò quid agebat? internam dumtaxat animi virtutem externa morum honestate prodebat, utamque suam majestatem sublimis in throno ad austrum verso graviter exhibebat, & nūl aliud.
6. Discipulus *Tsu ch'en* interrogavit Confucium, quid opus esset, ut quis posset, quocumque veller. sine difficultate tendere? Respondit Confucius: Verax in verbis, solers in factis, quamvis ad Barbaras, vel Australes, vel Boreales gentes perrexerit, nullam difficultatem patietur. Contrà, si quis nec in verbis verax, nec in factis solers fuerit, quamvis solutam mode cura ejusdem urbis aut pagi Incolis agat, acquiescere non difficultatem non patietur!

7. Itaque dum stas, cogita te illam veritatem ac soleritiam videre ante oculos adstantem. Dum curru veheris; cogita te illam videre transverso zemonis ligno incumbentem. Si ita egeris, posteà, quocumque perreveras, nullam difficultatem patieris. *Tsu chun*, ut hoc effatum nunquam oblisceretur, mox in suo aulico cingulo exaravit.
8. Confucius peragendo varias Chinæ Provincias, duos optimos Regnæ Guei Præfectos *Ly yo* & *Pe yo* familiariter frequentârāt, in quorum laudes sic posteà exclamabat: *Quàm recto animo præditus erat ille Præfectus Ly xu!* quamdiu viguit bonum Regni regimen, rectus ut sagitta; ubi periit; etiam rectus ut sagitta. Deinde quam verò prudens erat ille Præfectus *Kiu pe yo!* quamdiu viguit bonum Regni regimen, Magistratum capessivit; ubi periit, Magistratu mox se abdicavit, & privatus delituit.
9. Confucii effatum: Capacem non instruere, est perdere hominem; inacpacem instruere, est perdere verba. Vir prudens nec homines nec verba perdit.
10. Confucii effatum: Fortis sapientiæ Alumnus, & verus pietatis sectator non tantum contemnit vitam, nè suæ pietati noceat; sed etiam lubens mortem oppetit, ut eam perfectam reddat.
11. Discipulus *Tsu kum* interrogavit Confucium, quid opus esset ad adipiscendam pietatem, seu perfectam cordis rectitudinem? Respondit Confucius: Opifex volens opus suum ex omni parte absolutum, sua priùs instrumenta aptat atque acuit. Ita sapientiæ Alumnus ubi in aliquo Regno versatur, hominibus tamquam instrumentis, quibus se aptet atque acuat, utatur necesse est; utatur primariorum Prælectorum sapientiæ, illis inseriendo, ut discipulus; utatur virorum honestoruin pietate, illos frequentando, ut amicus.

**Nota:** Sinæ pro uno die naturali numerant tantum duodecim horas, quarum singulæ æquivalent duabus nostris Europæis, propriumque nomen habent. Ab Undecima nocturna inclusivè ad Primam nocturnam exclusivè, vocatur illa hora *Tsu*; à 1. nocturna inclusivè usque ad 3. exclusivè vocatur *Chen*; à 3. inclusivè usque ad 5. exclusivè vocatur *In*; & sic de reliquis *Mao*, *Xin*, *Su*, *Ok*, *Vi*, *Xin*, *Teu*, *Sio*, *Hay*. Deinde his duodecim horis correspondent duodecim signa cælestia, sive anni 12. menses, & ab illis accipiunt nomen; v. gr. Signum Aquarii dicitur Mensis seu Signum *Tsu* (quamvis olim aliter, nimis rurum Capricornus erat Mensis *Tsu*, Aquarius *Chen*, Pisces *In*, &c.) Signum Piscium dicitur Mensis *Chen*, Arietis *In*, &

& sic de reliquis. Tres Imperiale<sup>e</sup> Familiae *Hia*, *Xan*, *Chen*, singulæ in principio sui imperii, immutaverunt anni civilis principium. Familia *Hia* pro anni principio constituit mensem & horam *In*; Familia *Xan* mensem & horam *Chen*; Familia *Chen* mensem & horam *Tsu*. His notatis:

12. Discipulus *Ten yuen* à Confucio modum Regni ritè administrandi petiit.  
Respondit Confucius: Ad Regnum ritè gubernandum plurimūm condūcit primò: ut annus inchoētur à mense *In*, volvatürque juxta morem Imperii *Hia*. 2. ut juxta imperii *Xan* formam seu normam, elaborentur cursus, ex forti ligno absque vano ornatu confecti. 3. Ut regalis corona à Monarchiæ Conditore *Hoam* ti gestari cœpta, gestetur juxtamorem imperii *Chen*; hæc enim nec inulta, ut olim, nec cultu exuberans. 4. Ut absolutissima Imperatoris *Xan* Musica dicta *Xao* vsu decanteatur. 5. Ut trivialis Regni *Chim* cantus, & vaniloqui magistelli amendantur; illo enim impurus, h̄i periculosi sunt.
13. Confucii effatum: Qui longè ventura non præmeditatur, huic dolor propè imminet.
14. Confucii effatum: Eheu! Spes nostra periit: qui ita ardenter amat virtutem, ut quis ardenter amat libidinem, nondum ego vidi hominem.
15. Confucii effatum: Numquid reverà dignitatis suæ prædo erat primarius ille nostri Regni L<sup>e</sup> Præfектus *Tsam* *ren chum*? Sciebat enim civem suam *Lien bia hoei* virum esse sapientiæ & virtute præstantissimum; nec tamen unquam eum Regulo proposuit ad conferendam illi dignitatem, secundumque in palatio standum.
16. Confucii effatum: Si te severè, alios mansuetè arguas, quævis odia à te amovebis.
17. Confucii effatum: Qui secum ipse cogitans non dicit: quonam pacto istud faciam, aut omittam? quonam pacto istud atque star, aut fugiam? quamvis ego ejusmodi hominē voluerim instruere, qui possim, non video.
18. Confucii effatum: Qui turmatim toto die otiosi vanis confabulationibus tempus terunt, nihilque, quod æquitatem sapiat, loquuntur; sed solum res ludicas ad aucupandam leviculam ingemii laudem, amant agere, h̄i quām difficulter aut virtutis iter imibunt, aut mundi spinas effugient?
19. Confucii effatum: Vir sapiens, pro vita sua basi, æquitatem; pro operi, honestatem; pro sermone, demissionem; pro ultima perfectione, veritatem sibi secundam proponit. Annon igitur audua Sapiencis perfectio?

20. Confucii effatum: *Sapiens non dolet se ab hominibus nesciri, sed dolet se non posse, ut optat, in virtute proficere.*
21. Confucii effatum: *Qui totum vitæ tempus sine ulla nominis ac virtutis fama transfigunt, hos Sapiens abhorret.*
22. Confucii effatum: *Sapiens scipsum, Insipiens alios querit.*
23. Confucii effatum: *Sapiens est gravis sine offensione, est cdmis sine singularitate.*
24. Confucii effatum: *Sapiens nec propter verborum peritiam promoveret hominem, nec propter hominis imperitiam rejicit verba.*
25. Discipulus Tsu kum sic interrogavit Confucium: *Potestne uno verbo exponi aliquid, quod toto vitæ tempore possit sine periculo erroris in proxim redigi?* Potest, reposit Confucius: *ex te ipso alios metire; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*
26. Confucii effatum: *Versando ego cum hominibus, cuiusnam vitia plus æquo aperio? cuiusnam virtutes plus æquo extollo? si autem subinde videor plus æquo extollere alicujus virtutes, hoc ideo facio; quia ille singularis perfectionis desiderio accensus, has laudes postea effectu comprobabit.* Deinde cum iste præsens populus rectam vivendi normam, quæ sub trium Imperiorum, *Hia*, *Xan*, *Chen*, initiis viguit, etiamnum sequatur, quomodo possim illum plus æquo extollere aut deprimere?
27. Confucii effatum: *Mihi quidem olim adhuc videre licuit Historicum, qui in rebus dubiis nosset suum stylum suspendere; & amicum domi alienum equos, qui vellet eos aliis ad equitandum commodare; sed nunc hujusmodi mores omnino periérunt.*
28. Confucii effatum: *Garrula verba sapè alienam virtutem, & leves impatiens sapè magna cœpta perturbant.*
29. Confucii effatum: *Quem omnes oderunt, ut tu illum rectè odissē possis, priùs inspice, quid odio dignum habeat; aut quem omnes amant, ut tu illum rectè amare possis, priùs inspice, quid amore dignum habeat.*
30. Confucii effatum: *Sapientia doctrinam homo, non hominem sapientia doctrina amplificat.*
31. Confucii effatum: *Suas culpas non corrigere, est novas committere.*
32. Confucii effatum: *Licet ego in perscrutandis rerum naturis totam penè diem sine cibo, & totam penè noctem sine somno transfigam, nullum tamen fructum ex illa nuda contemplatione percipio; præstat ergo practicas sapientia disciplinis operam navare.*

33. Confucii effatum: Sapientia Alumnus in studendo non dignitates, ut laute comedat; sed virtutes, ut recte vivat, sibi acquirendas proponit. Quemadmodum agricola terram colit, ut victum acquirat; si autem annus sterilis occurrat, hinc famam in suo labore reperit; ita sapientia Alumnus litteris vacat, ut virtutes acquirat; si autem ei Magistratus obtinet, tunc victum in suo studio reperit. Idcirco Sapientem non paupertatis metus, sed virtutis profectus anxium semper ac sollicitum reddit.
34. Confucii effatum: Qui suâ perspicaciâ recte vivendi & regendi artem potuit assequi, si pietate eam non conservet; mox quod allocutus est, perdet; sed quamvis pietate eam conservet, si gravitate ad regendum necessaria careat, mox populus illum non reverebitur; sed quamvis & pietate eam artem conservet, & gravitate ad regendum necessaria polleat, si in instruendis populis honestate careat, nec optimus nec absolutus tenetri poterit.
35. Confucii effatum: Heros, cum sit maxima rei capessendæ capax, non potest in parva cognosci; contrà homunculus, cum sit magna rei capessendæ incapax, potest in minima cognosci.
36. Confucii effatum: Ad tranquillam populorum vitam, pietas & justitia multò magis, quam ignis & aqua conducit. Calcantes ignem & aquam miserè perire, nobis sepiùs videre est; sed calcantes pietatis & justitiae semitam, periisse nondum videre licuit.
37. Confucii effatum: Sapiens agnitam veritatem firmiter, sed sine pertinacia ructur.
38. Confucii effatum: in tenenda cordis rectitudine nemini, nè vel Magistro quidem, cedendum est.
39. Confucii effatum: Sapiens in Regis obsequio primùm munera sui partes, deinde suæ dignitatis stipendia curat.
40. Confucii effatum: Sapiens sine personarum & conditionum discriminatione omnes instruit.
41. Confucii effatum: Mente & corde diversi, non possunt bene inter se deliberare.
42. Confucii effatum: Legationis diploma nitidè tantum mitterentis mensa debet exprimere, & nil aliud.
43. Olim in Musicæ Præsidem solebat adscisci cæcus, ut sic posset melius tonos, & tonorum concordiam distinguere. Itaque cæcus Musicæ Præses Mihi venit ad invisendum Confucium. Appulso ad scalæ gradus,

mox Confucius: Hic, inquis, sunt scolae gradus. Appulso ad zulam: Hic, inquit, suar sedes. Cumque ille & alii una consedissent, cum Confucius singulorum nomina illi explicans: Hic, inquit, est NN. illic NN. Denique egresso isto Praefecto Mien, Discipulus Tsi chon sic Confucium interrogavit: Num foret, inquit, in tam accurata erga illum humanitate inest aliquis doctrinæ sensus? Inest, reponit Confucius; olim cæcus solebat habere comitem, qui illi dax esset via. Quod ego huic præstigi caco, est verus modus, quo illum dux via adjuvare deberet.

## ARTICULUS XVI.

1. Res primariae Regni Lu Præfecti, spreta Reguli auctoritate, totum Regnum, in quatuor partes divisum, sibi administrandum vindicabant; *Mien sun unam, No surimam, & Ki sun duas*. sibi vindicabat; solus exigui regni seu ditionis conterminæ Chuen ju, vix viginti aut triginta stadiis amplæ, Præcepta fideliter Regni Lu Regulo clientelare obsequium exhibebat. Hinc invidus Præfector Ki sun voluit illum armis impescere, & sibi subdere. Itaque cum esset Regnum istud Chuen pe aggressurus, duo Confucii Discipuli Gen yen & Ki lu, qui sub isto Ki sun Magistrorum aliquem inferiorem gerebant, veniunt ad Confucium: Noster, inquit, Præfector Ki brevi est negotium Regno Chuen ju facessurus, bellumque illaturus. Tum Confucius solum Discipulum Gen kien, sive Gen yen, ut pote qui magis istius Præfecti pravæ cupiditati obsecundabat, compellans: Mi, inquit, Kien, annon revera hoc negotium ac bellum tibi ipsi culpa verendum erit: hoc Regnum Chuen ju, primi Familiae Chou Imperatores olim donarunt Posteris Regis Fo bi, illisque montis Tungnum, ad cuius radices situm est, Dominos creaverunt. Deinde istud Regnum est intra nostri Regni Lu limites conclusum, nec unquam hostile quid movit, sed semper inviolata fide nostro Principi clientelare obsequium præsticit. Denique nullo modo intra Præfecti Ki ditionis terminos jaceret, ac jure hereditario per se stat. Qua ergo ratione, qua justitia illud invadipotest?
2. Tum ut se purgaret Gen kien, sic ait: Nos quidem ambo illud non optimus, sed ille Dominus noster id omnino vult. Mox acriter cum arguens, Confucius: mi, inquit, Kien, ille antiquus Historicus Chou gin sic bellè ait: Qui in aliquo officio suas potest exercere vires, accedat, liceret ad illud gerendum; si autem non potest, ab illo absitac. Ceti enim dux si nec labentem cæcum apprehendere, nec lapsum astollere valeret, ecqua  
huius-

hujusmodi comitis utilitas: Quod autem ait, vos ambos illud non optare, multum sanè falleris: dic, quæso, si leopardus, tigris, aut unicornium è scapo regio ausfugerit; vel si pretiosa testudo in arca conclusa mucorem contraxerit, arque humiditate corrupta fuerit, cujus culpx id adscribendum putas?

3. Gen yes iterum se volens, simul & Praefectum Ki, purgare: noster, inquit, Dominus Ki nunc meditatur Regnum Chuen ju invadere; tum quia sensum sit potens, tum quia vicinum extat suæ metropoli Pi; si enim illud jama non occuparit, posteà ejus posteri damnum & cluctum sunt inde percepturi. Mox rursus eum increpat Confucius: Mi Kien, qui suam pravam habendi cupiditatem non tantum non vult ore prodere, sed etiam fucatis verbis illum conatur abscondere; hunc vir sapiens abominatur. Ego quidem Meu sibi audiri Principem non dolere ob suorum paucitatem, sed ob suorum ambitionem; non ob Regni paupertatem, sed ob Regni dissensionem. Si enim ambitio exulet, nullus tunc paupertatis metus; si regnet concordia, nulla tunc populi paucitas; si dissensio absit, nullus tunc adversus casus pertimescendus.
4. Deinde addit: Cùm igitur vester Herus sic se malè gerat, idcirco externi isti ditionis Chuen ju populi nolunt se illi subdere; oportet autem mores suos recte componere, sapiensque regimen tenere ad eos alliciendos, ut ultrò se subdant; deinde postquam se ultrò subdiderint, oportet illos virtutem tranquillitate donare: Jam verò vos, Yu & Kien, estis quidem isti Praefecto Ki à consiliis; sed quid? nec externi populi se subdunt ultrò, nec vestra virtute potestis illos allicere, ut veniant; totum Regnum in quatuor partes scissum in præceps ruit, nec vos potestis ruentis succurrere; quin contra movere arma, milites cogere, bellum accendere intra nostri Regni fines meditamini; ego sanè vereor, nè malum, quod sibi pertimescit Ki sun, non sit in Regno Chuen ju, sed intra domesticos suos parietes situm.
5. Tum sic pergit: Dum Imperium sapienti viget regimine, ritus, musica, bella ab Imperatore præscribuntur; dum illo caret, ritus, musica, bella à Regulis, Imperatoris auctoritatem sibi vindicantibus, proficiuntur; & quia tunc primarii Praefecti Regulorum auctoritatem etiam sibi vindicant, ideo rari sunt hujusmodi Reguli, qui intra decem generationes occupatum thronum non amittant. Insuper dum ritus, musica, bella à primariis Praefectis, Regulorum auctoritatem sibi vindicantibus, proficiuntur, quia tunc horum Praefectorum Subpraefecti sibi primiorum Praef-

Præfectorum auctoritatem vindicant, ideo rari sunt hujusmodi primarii Præfecti, qui intra quinque generationes occupatum scepterum non amittant. Denique dum primariorum Præfectorum Subpræfecti Regni habendas arripiunt, rari sunt, qui intra tres generationes occupatam administrationem non amittant.

6. Iterum sic subjungit: Dum Imperium sapienti regimine, præceptorum ac legum potestas non est penes Præfectoros, nec populi sub sapienti regimine audent quidquam aut carpere, aut dijudicare, aut deliberare.
7. Confucii effatum: Ex quo Regulus *Ven kum* obiit, interfectaque ejus filio *Iſu* che regnare cœpit Regulus *Sien kum* per quinque generationes, scilicet *Sinek kum*, *Chim kum*, *Sian kum*, *Chas kum*, *Tum kum*, rebus quotidie in pejora ruentibus, totum sensum regimen ad primarios Præfectoros, incipiendo à *Ki ya* usque ad *Ki von* nunc dominantem per quatuor generationes, scilicet *Ki ya*, *Ki tuo*, *Ki piu*, *Ki von*, transire. Sed cum occupata à primariis Præfectoris Regis auctoritas, ut plurimum, vix ad quinque generationes pertingat, ideo Præfectorus *Ki von* Familia *Ki sun* caput, reliquæque duæ Familia *Chum sun*, sive *Mem sun*, & *Xo sun* (hæc tres à famoso Regulo *Ven kum* genus trahabant) nunc valde in casum vergunt, pristino vigore destituta.
8. Confucii effatum: Amicorum genera tria sunt, quæ prosunt; tria, quæ obsunt: amici recti, amici sinceri, amici docti nobis prosunt; nimicum ad nostram pravitatem, similitatem, ignorantiam expellendam: contrà amici pravi, amici fucati, amici garruli nobis obsunt; nimicum ob periculum imitandi eorum pravitatem, fucum, garrulitatem.
9. Confucii effatum: Amorum genera tria sunt, quæ prosunt; tria, quæ obsunt; quæ prosunt, sunt hæc tria: amare Rituum honestatem & Musicas concordiam; amare viorum proborum laudes ac præconia; amare frequentem sapientium amicosum consuetudinem. Quæ autem obsunt, sunt hæc tria: amare superbiam & lasciviam; amare otium & deambulationes; amare epulas & comedias.
10. Confucii effatum: Adolescentior, vel inferior adstans viro ob æatem aut dignitatem venerabili, tres culpas potest committere. Prima: Si nondum interrogatus loquatur, censetur præcepis. 2. Si interrogatus non loquatur, censetur dissimulatus. 3. Si non colligens ex vulnus alerius mentem, temere loquatur, censetur cæcus.
11. Confucii effatum: Tria sunt, quæ sapientia Alumnus fugere debet. In

adolescentia, quia sanguis & spiritus nondum sunt stabiles, fugiat luxuriam; in juventute, quia sanguis & spiritus sunt stabiles, fugiat iram; in senectute, quia sanguis & spiritus sunt debiles, fugiat avaritiam. Luxuria enim, addit Interpres, destruit sanitatem, ira parit damna, avaritia corripit vitam.

12. Confucii effatum: Tria sunt, quæ Sapiens veretur: Veretur Cæli legem, veretur illustres viros, veretur Sapientum dicta. Contrà Insipiens, cælestis legis ignarus, illam non veretur, aspernatur illustres viros, ludificatur Sapientum dicta.

13. Confucii effatum: Cùm homines ingenio sint multùm diversi, primi ordinis censemur ii, qui ita nati sunt, ut penè sine ullo studio scientias calleant; secundi ordinis ii, qui paucò cum studio illas acquirunt; tertii ordinis ii, qui iagenio tardi multò cum studio illas sibi comparant; denique infimi ordinis, uti plebs abjecta, censendi ii, qui quamvis ingenio tardi, non tamen curant illas acquirere.

14. Confucii effatum: Novem sunt, quæ Sapiens assiduè meditatur: In aspectu claritatem, in auditu intelligentiam, in vultu affabilitatem, in corpore modestiam, in verbis veritatem, in negotiis solertiam, in dubitationibus interrogationem, in altercationibus damnum, in opibus aequitatem.

15. Confucii effatum: Antiquo proverbio dicitur: *Aspiciendus vir probus, quasi cum aquare nequires; aspiciendus vir improbus, quasi servens jusculum tangere paveres.* Tum addit Confucius: Homines, qui ita agerent, etiamnum vidi; unde & hoc proverbium etiamnum audivi.

16. Deinde subjungit: Olim etiam erat hoc proverbium: *Sapiens, dum adhuc privatus agit, menti suæ ritè stabiendi studet, ut, dum publicam postea tradaturus est aequitatem, in commune emolumenntum suum rectè vivendi & regendi artem extendat.* Tum addit: Hoc proverbium etiamnum audivi; sed homines, qui ita agerent, nondum vidi.

17. Regni Cy Regulus Kim kum, ait Confucius, licet olim quater mille equos ad mille quadrigas trahendas aleret, post mortem tamen populi nullam in eo virtutem, qua celebrari posset, invenerunt. Principes autem Pe y & Xo cy germanos fratres, qui ambo recusato sceptri honore, ad radices montis Xeu Yam miseriâ & fame periérunt, assiduis huc usque laudibus populi extollunt. Numquid hoc est, quod liber Carminum tom. Siao ya,

odā nōgo him kī ye sic ait: Professū non opes, sed longē diuinā laudat homines.

18. Discipulus Chin kam ratus peculiari modo Confucii filium Ly, cognomento Pe yu, à patre suo edoceri, sic ipsum interrogavit: Numquid, Domine, peculiaria quedam doctrinæ præcepta à patre forsitan acceperisti? Minime, reponit Pe yu. Quadam die cùm pater solus staret, ego Ly properè transivi ante aulam, in qua erat, arbitratus me evocandum. Et verò, ut me vidit, statim advocavit: heus tu! inquit, librūmne Carminum didicisti? Cui ego: Necdum, mi pater. Nisi, inquit, librum Carminum didiceris, nunquam perfectam bene loquendi artem callere poteris. Mox ego digressus, in addiscendum Carminum librum incubui.

19: Deinde alio die rursum stabat solus, ego Ly properè iterum transivi ante aulam, in qua erat, arbitratus me evocandum. Et verò, ut me vidit, rursus statim advocavit: didicistne, inquit, librum Rituum? Cui ego: Necdum, mi pater. Nisi, inquit, librum Rituum didiceris, nunquam perfectam in virtute standi scientiam callere poteris. Mox ego digressus, in addiscendum Rituum librum incubui. Hæc duo sunt, quæ peculiärer à patre accepi. Quo audito Discipulus Chin kam discedendo sic lærabundus aiebat: Me sanè felicem! unum ego tantum rogavi, & tria accepi; accepi libri Carminum studium requiri ad perfectam bene loquendi artem; accepi libri Rituum studium requiri ad perfectam in virtute standi scientiam; accepi Sapientem in docendo filio procul à se peculiarem affectum amovere.

20. Confucius, antiquum Ritum indicans, sic ait: Quod quidem ad Reguli uxorem attinet, ejus nomen valde varium est: ipse enim Regulus cám vocat uxorem; Reguli uxor se ipsa vocat rudem puellam; Regni incolæ intra Patriæ fines eam vocant Regulam; extra Patriæ fines in aliis Regnis eam vocant parvam paucæ virtutis Regulam; denique externalorum Regnorum incolæ eam etiam vocant Regulam.

## ARTICULUS XVII.

1. **Q**uidam Subpræfetus nomine Hu, cognomento Yam ho, à Dominō suo Ki von, primario Regni Lx Præfecto, defecerat; armis victum Dominum suum carcere incluserat, & publicæ administrationis potestatem sibi vindicârat. Cùm autem sciret Confucium esse magni nominis virum, vehementer optabat, ut se inviseret. Sed Confucius eum inviseré noluit.

hinc. Ille autem *Yen bo*, ut Confucium honestè cogeret ad se invisen-  
dum, dono misit nefrendem assatum. Sed Confucius ad gratias pro-  
munere agendas, prout urbanitas exigebat, illum invisit eo tempore,  
quo sciebat domo abesse. Sed ecce præter spem illi in via occurrit.

2. Hic ergo ut vidit Confucium transeuntem: Huc, inquit, huc, precor,  
adesto: habeo, quod tecum loquar. Dic, quæso, qui pretiosum do-  
ctrinæ & virtutis suæ thesaurum non prodit, sed siccis oculis Patriam in-  
exitum ruentem videre sustinet, potestne hic dici in Patriam pius? Non  
potest, reponit Confucius. Dein subridens *Yen bo*: vir, inquit, qui ad  
regimen aspirat, & opportunam occasionem sinit clabi, potestne dici  
prudens? Non potest, reponit Confucius. Iterum jocando: dies, in-  
quit, & menses celeriter currunt; nec anni sunt in nostra potestate; ecur  
ergo non festinas Magistratum capessere? Ita est, inquit, eum brevi  
caepissam.

3. Confucii effatum: Natura prope primùm producitur, multùm in omni-  
bus hominibus consimilis est; prout paulatim sive virtuti, sive vicio assue-  
scit, multùm dissimilis.

4. Confucii effatum: Soli summè perspicaces, & soli summè rudes aliorum  
sive exemplis, sive documentis bonis aut malis non mutantur.

5. Cùm prefectus esset Confucius in oppidum *Yu chia*, quod urbi *Yen cheu*  
in Provincia *Xan tui* sit, subjacet, resonantes ubique citharædorum mu-  
sicosque modos canentium voces audivit. Nimis illius oppidi Præ-  
fectum agebat Discipulus *Tsu lu*, qui Musicæ & Rituum artem studiosè  
populum doceri curabat. Hoc auditio Confucius, lætitia gestiens, gra-  
tiumque subridens, sic Discipulum suum *Tsu lu* alloquitur: Mi dilecte  
*Yen yeu*, ecur ad regendum hoc oppidulum, magnam illam rectè regendi  
artem advocas? num fortè ad jugulandam gallinam adhibendus est gran-  
dis ille culter, quo boves mactantur? Olim, reponit *Tsu yeu*, tuus ego  
*Yen hæc ex te*, Magister, audivi. Si Præfectus sit sapientia & rectè vi-  
vendi normæ studiosus, mox suum diligit populum, & ex se ipso illum  
metitur; si populus sit sapientia & rectè vivendi normæ studiosus, mox  
suum diligit Præfectum, & se sicut facile gubernari. Quo responso au-  
dito Confucius, conversus ad suos Discipulos: parva, inquit, Discipu-  
lorum turba, optimè respondit charissimus noster *Yen*; ita sanè est. Quod  
autem ego dixi, non opus est bovino cultro ad jugulandam gallinam,  
hòc jocandi ergo dumtaxat præculi.

6. Primarius Regni La Präfector Ki von habebat Subpräfectum dictum Kow  
~~xan si jao~~, qui sux metropoli Pi præterat. Hic cum alio suo collega Sam  
~~bu~~ aduersus suum Dominum Ki von arma movit, vincitumque carcere in-  
clusit. Cùm ergo istam metropolim Pi occupasset, rogavit Confuci-  
um, ut ad se venire vellet; & certè eum Confucius adire penè capiebat,  
ut pote qui non aduersus Regulum, sed aduersus infidum Regni Ministrum  
arma moverat; sed ejus mens displicuit Discipulo Tsu lu: Magister, in-  
quit, nullus est uspiam, ut vides, tux propaganda doctrinæ modus; ad  
quid igitur vis sedicio sum illum ~~Kum~~ xan adire? Putasne, reponit Con-  
fucius, eum qui me ita ardenter invitat, nullum sibi in me arcessendo fi-  
nem proposuisse? si forte voluerit ille meâ ori operâ ad regimen, num  
quid potero Regni leges ac ritus penitus labefactatos restaurare? refor-  
matam Patriæ faciem renovare? & efficere, ut Imperium Chou, quod sub  
primis Imperatoribus adeò floruit in Occidente, id est, ~~Xen~~ si, transla-  
tum esse videatur in Orientem, id est, ~~Xan~~ sun? Ceterum illum non  
adiit Confucius; iste enim Subpräfectus ~~Xan~~ si prælio victus à Präfecti Ki  
exercitu, profugit in Regnum Cy.

7. Discipulus Tsu chou rogavit Confucium, ecquis Princeps vera pietate seu  
absoluta cordis rectitudine prædictus dicendus foret? Vera pietate præ-  
ditum, reponit Confucius, censeo eum, qui potest quinque imperatoria  
virtutes in Imperii administratione exercere. Quænam sunt illæ, inquit  
Tsu chou, quinque imperioriæ virtutes? Hæ, reponit Confucius: gra-  
vitas, benignitas, veritas, diligentia, liberalitas; si Princeps gravitate n  
habuerit, omnes eum reverebuntur, nec erit, qui illum ausit contemne-  
re; si benignitatem, omnium amorem ac benevolentiam sibi conciliabit;  
si veritatem, omnes ei fident, nec illas suspiciones concipient; si diligen-  
tiam, omnes res ritè perficiuntur; si liberalitatem, omnibus facile pote-  
rit imperare.

8. Subpræfectus Pie hie præterat oppido Chou meu, quod pertinebat ad quem-  
dam primarium Regni Cin Präfectorum, dictum Chao kien. Tunc temporis  
in isto Regno Cin, id est ~~Xan~~ si, omnia susquedique evertebantur; Regu-  
lus sine auctoritate; tota Regni administratio penes sex primarios Präfe-  
ctos, quorum unus hic erat Chao kien, qui exortis seditionibus & intesti-  
nis bellis, cùm aduersus æmulum Fan chou him primarium ejusdem Reg-  
ni Präfectorum dimicaret, ejus Subpræfectus Pie hie commodam occasio-  
nem nactus, defecit cum oppido Chou meu, misitque viros, qui ad se in-  
vitarent

vitarent Confucium. Et cont̄ invitantem jam adire volebat Confuci-  
us; sed id displacebat ejus Discipulo Tsu lu, qui ait: Tuus ego Discipulus  
Tzu, hoc olim ex te, Magister, audivi: Vir sapiens cum scelerato societa-  
tem non iniç. Jam verò Subprefectus ille Pie bie, fatus oppido Chou  
mox, arma movit in suum Dominum, & scelera sceleribus addit. Si igi-  
tur eum, Magister, adeas; quomodo tuis verbis veritas cohæredit? num-  
quid alieni criminis participem te reddes? Ita est, reponit Confucius;  
hæc omnia verba protuli. Sed numquid de re durissima dicitur: quan-  
tumvis eam frices, non tamen atteres? & de re albissima, (v. gr. ebore,  
marmore, &c.) dicatur: quantumvis eam denigres, non tamen tinges? (ita  
vir sapiens, addit Interpres, quantumvis viri scelerati societate fricitur,  
non tamen ejus virtus atteritur; & quantumvis viri scelerati vitiis deni-  
gretur, non tamen ejus virtus nigredine tingitur.) An igitur putas me  
uelle esse similem magnis illis cucurbitis, quæ cùm sint amarissimi & insi-  
pidissimi gustus, ad nihil aliud prœsumunt, quam ut in cubiculo ad visum, non  
ad cibum, frustrè dependeant?

9. Cùm Discipulus Tsu lu magis esset bellicæ fortitudinis, quam discenda sa-  
cientia amator, sic cum affatus est Confucius: Mi Tzu, (Tsu lu est cogni-  
mentum) numquid audisti sex præclara effata, & sex horum defectus?  
Mox Tsu lu, qui ad Magistri latus sedebat, assurgens: nunquam, reponit.  
Tum Confucius: Sede, inquit; ego singillatim illa tibi exponam. Pri-  
mum est amare pietatem; sed non amare pietatis scientiam; ejus defectus  
est cæca hebetudo. 2. Amare prudentiam, sed non amare prudentiæ  
scientiam; ejus defectus est vaga immoderatio. 3. Amare veritatem,  
sed non amare veritatis scientiam; ejus defectus est damnoſa obstinatio. 4.  
Amare rectitudinem, sed non amare rectitudinis scientiam; ejus defectus  
est præceps inconsideratio: 5. Amare fortitudinem, sed non amare for-  
titudinis scientiam; ejus defectus est tumultuosa discordia. 6. Amare  
constantiam, sed non amare constantiæ scientiam; ejus defectus est fa-  
stosa præsumptio.

10. Confucii effatum: Parva Discipulorum turba, eccur librum Carminum  
non addiscitis? hic Carminum liber suis rebus rectis & pravis ad virtutis  
anorem & ad vitii horrorem excitare; suis laudibus & vituperiis ad pro-  
prii cordis examen moveare; suis amicitiæ legibus ad honestam humanæ  
societatis familiaritatē dirigere; suis tristitiae & iræ affectibus ad aliena-  
zum culparum iracundiam & medelam, instruere lectorem potest. In-

super modum, quo domi Parentibus, foris Principibus inserviadeat, plurimaque avium, bestiarum, herbarum, arborum nomina, quorum cognitio plurimum ad omnes scientias conducit, complectitur.

11. Confucius instructurus suum filium Pe Yu, sic eum alloquitur: Didicisti ne duo libri Carminum capitula Chou nra & Chou nra?

Nota: hæc duo capitula referunt virtutes, quibus uxor Principis Ven Van, dicta Tai Shu, non tantum suum, sed etiam aliorum Principum & Praefectorum gynæcæa in Provinciis australibus degentium, suo exemplo ad meliorem virtutem normam reduxit. Unde illa de moribus componendis, & familia bene regenda præcipue agunt. Alterum dicitur Chou nra à nomine Principis Chou Kuan, qui à patre Ven Van, è regione borealiore Provinciae Xin si missus est ad partem Chinæ australiorem & occidentalem. Et alterum dicitur Chou nra à nomine Principis Chou Kuan, qui ab eodem patre Ven Van è borealiore ad australiorem, & orientaliorem ejusdem Chinæ partem missus est; ut ibi ambo res ac Regulorum Regna componerent. Ista vox Sinica Nan significat partem australem.

Deinde sic pergit Confucius: Qui non discit ista duo capitula, anno in componenda sua domo, aut in administrando Regno erit sicut vir, qui præalto adstans parieti, nihil prorsus in altera parte positum videre, nec ullum omnino passum promovere potest?

12. Confuci effatum: Olim Imperatores, ut morum honestas servaretur, varios Ritus instituerunt; & ad patesfaciendam internam cordis venerationem, pretiosa & serica munera adhibenda esse censuerunt. Si igitur absit hæc interna cordis veneratio, annon illa pretiosa & serica munera, quæ jactitando iteratis vocibus vocant Ritus, Ritus, vocanda potius erunt vana fastus spectacula? Deinde Imperatores olim etiam Musicam, ut concordi musicorum instrumentorum ac vocum concenru, populis animalium concordiam instillarent, instituerunt. Si igitur absit hæc animalium concordia, annon illa resonantia tympana, cymbala, armenia, quæ jactitando iteratis vocibus vocant Musicam, Musicam, vocanda potius erunt vana sonitus instrumenta?

13. Confuci effatum: Qui exterius gravis & constans videri vult, interius autem levitate & inconstantiâ sordescit, numquid hic verè similis est istis homunculis, qui noctu vicinæ domus parietem ad occultâ sua furtâ perpetrandâ suffodiunt atque trahunt: & diu honestatem ementito vultu praeserunt?

14. Confucii efficiuntur: Est quoddam hominum genos qui ob ementitum virtutis colorem & ingenii sagacitatem dicuntur Patriæ decus & norma; & tamen h̄i sunt verae virtutis labes ac pestis.
15. Confucii effatum: Qui acceptum sapientia preceptum in corde non foveret, sed mox ore effutus, hic similis est viatori, qui auditum in via verbum confessum quibusvis obvniis hominibus illud effutus. Hoc sane virtutis projectio est.
16. Confucii effatum: Quoniam sane modo viles illi homunculi, qui non publicum, sed tantum suum querunt emolumentum, possunt Regi inservire? ubi dignitatem, quam ambiunt, nondum adepti sunt, toti anxii timent, nè non adipiscantur. Ubi eam adepti sunt, toti anxii timent, nè amittant; quia autem adeo timent, nè amittant; ideo nullum est scelus, quod non perpetrent, ut eam conservent.
17. Confucii effatum: Olim homines tribus animi agriculturis laborabant, nunc mores adeò in pejus sunt mutati, ut nè has quidem animi agricultures in quibusdam reperire valeas. Olim fastosi parce tantum modestiae fines transgrediebantur; nunc fastosi omnes omnino & iustitiae & honestatis leges transgrediuntur. Olim austeri inamabilem tantum vulnus speciem præfererant; nunc austeri non tantum inamabilem vulnus speciem præferunt, sed etiam in contentiones, odia, iras assidue erumpunt. Olim rudes erant sinceri & recti; nunc rudes sunt fraudulenti ac perversi.
18. Confucii effatum: Adulatores pios vix, aut nè vix reperias.
19. Nota: puros colores Sinae recensent hos sex: album, nigrum, rubrum, flavum, cæruleum, viridem; alii omnes habentur pro mixtis sive imperfectis. Jam vero sic ait Confucius: Etsi violaceus color rubro additus gratius, quam solus ruber, videatur delectare visum: ego tamen illum, utpote qui suam rubro perfectionem aufert, vehementer odi. Deinde etsi lasciviens Regni Chī cantus suavius, quam recta Musica, videatur delectare auditum: ego tamen illum, utpote qui rectas puras Musicæ leges confundit, vehementer odi. Sic & pejus odi loquaces illos sophistas, qui suis ementitis verbis Regina & domos pervertunt.
20. Cùm videret Confucius suos Discipulos magis audiendi, quam recte vivendi avidos, sic eos arguit: Ego deinceps nolo amplius loqui. Mox Discipulus Tſe Kāo: Si tu, Preceptor, non amplius loquaris, à quo nos tui Discipuli doctrinæ & vice præcepta, Posteris transmittenda, accipimus?

mus? Cui Confucius: Numquid Cælum vides? Ecquid, quæso, Cælum loquitur? Aspicis tantum quatuor anni tempestates statu & inviolato ordine volvi ac revolvi; aspicis res omnes continuata productionum serie semper persubere; ecquid, quæso, Cælum loquitur? (sic nempe re, non voce vos instruam.).

21. Quidam Regni Læ Incola, dictus *Ja Poi*, cùm olim sub Magistro Confucio litteris operam dabat, illum offenderat, & studia abjecerat. Postea accidit, ut invisendi Confucii avidus, domum ejus adiret. Sed Confucius factè causatus morbum, jussit se ab ejus affatu excusari. Vix bene pedem is, qui excusationem deferebat, portâ extulerat, cùm Confucius citharam arripuit, cānque pulsans cantare incipit, ea mente, ut ille *Ja Poi* audiens cantantem, sciret ipsum non ægrotare, sed non velle affatum dare, donec culpam suam agnosceret & corrigeret.

22. Discipulus *Tsay Ngo* sic Confucium interrogavit: Antiquo quidem morte receptum est, ut patribus & matribus defunctis toto triennio parentetur; sed fruno dumtaxat anno parentaretur, numquid hoc satis foret? Si enim Sapiens toto triennio parentans, in Ritis non se exerceat: mox horum scientiam auget; si toto triennio in Musica non se exerceat: mox hanc obliviscetur. Ubi veteres præteriti anni fructus desierunt, jam novi incipiunt crescere; atque ita post unum annum fit rerum renovatio. Insuper prescripearum arborum ligna, quæ ad eliciendum ignem terebrâ perforantur, atque ipse ignis, qui ex ipsis lignis elicetur, intra unius anni curriculum plures successivè immutatur. (Nota: Olim Sinæ ad ignem eliciendum, non utebantur pyrite seu silice, sed quarundam arborum, juxta singulas anni tempestates distributarum lignis; haec ligna terebrâ perforabant, ut inclusos illic spiritus igneos excitarent, igneique accenderent; Vere utebantur salice, in eunte Æstate utebantur pruno & malo arminiaca; deinde moro, atque sic aliis & aliis arboribus Autumno & Hieme.) Unus igitur annus ad terminandum funebrem Parentum luctum videtur sufficere. Cui Confucius: Intra illos, inquit, tres annos, quibus Parentes lugentur, insipida tantum legumina, viliorisque orizæ juscula ad cibum; sola aqua ad potum, ruditis cannabis ad vestitum solet adhiberi. Jam verò si exacto uno anno, mox luctus deponatur; tunc ergo post unius anni luctum poterit filius patre vel matre orbatus, opiparè vivere, delicatori orizâ vesci, splendido vestitu indui. Quid? tu id posses pacata mente, & sine ullo cordis mortu agere? Pacata mente, reponit *Tsay Ngo*. Tum Confucius:

12. Si post unius diuinitatis anni luctum pacata mente & sine ullo cordis moratu opipare vivere, & splendido ornatu indui possis, tu id age. Sed vir sapiens ubi patris & matris defuncte parentat, in ciborum sapore non gustat saporem, in auditu Musicae non haurit suavitatem, in lecto & habitatione non admittit commoditatem; adeò cor morore plenum est. Ideò post clapsum luctus annum, nondum vulnus solitas escas & festivas vestes resumere; tu verò si pacata mente & sine cordis moratu has possis resumere, per te licet, resume. Egresso foras Iſay Nge, Confucius veritus, nè id, quod ad illum arguendum dixerat, forte arbitrarentur Discipuli dictum esse ad ei consentiendum, statim subjungit: Ille Tu, (Iſay Nge est cognomentum) nullam sanè in Parentes se habere pietatem verè demonstrat; filius post tres tantum ab ortu annos eximuit Parentes onus se gestandi; ad pensandum igitur hoc triennale beneficium, omnes in toto Imperio, triennalis luctus Ritum observant; num forte sedes ille Tu hoc triennale amoris beneficium à Parentibus non acceperit, ut triennali luctu eximatur?

23. Confucii effatum: Qui toto die otiosus nihil aliud curat, quām ut ventrem escis implete; proh! quām difficulter in virtutis via progressum faciet! num vidisti talorum aut scruporum hisores? quamvis hi rem ludicram agent, numquid tamen vel sic suā diligentia otiosos illos epulones sperant?

24. Discipulus Iſu ~~la~~ bellicæ fortitudinis amator sic interrogavit Confucium: Vir sapiens, inquit, etiāne fortitudinem plurimi facit? Id quod plurimi facit vir sapiens, reponit Confucius, est æquitas. Vir enim Magistratum gerens, si tantum fortitudine polleat, & æquitate careat, facile tumultus commoveret. Vir plebeius, si tantum fortitudine polleat, & æquitate careat, facile latrocinia exercet.

25. Discipulus Iſu ~~Kum~~ sic Confucium interrogavit: Etiāne vir sapiens alios odio prosequitur? Est quadruplex, reponit Confucius, hominum genus, quos vir sapiens odio prosequitur. Primo: Malevolos, qui aliorum vitia propalant. 2. Viles, qui Principibus obtrectant. 3. Rudeos, qui humanitate carent. 4. Audaces, qui cæco impetu res aggrediuntur. Tum addit: Charissime Su, Iſu ~~Kum~~ est cognomentum) etiāne alios odisti? Est triplex, reponit Iſu ~~Kum~~, hominum genus, quos ego etiam odio prosequor: Rudes: qui volunt videri intelligentes; Arrogantes, qui volunt videri fortes; Cantumeliosos, qui volunt videri recti.

26. Confucii effatum: Unum quod maximè difficile invenio, est feminas & famulos alere. Si enim familiaris eos tractes, mox debitam submissionem perdunt; si severius, mox in iras & querelas erumpunt.
27. Confucii effatum: Qui jam quadraginta annos natus, adiosam omnibus ob sua virtus adhuc vitam trahit, hic ad usque vitæ finem similis perlitter, nec facile mores mutabit.

## ARTICULUS. XVIII.

1. Cum olim Imperator Chei Imperium malè administraret, exigui Regni Vi Regulus Tsu, (id est, quasi dices Marchionem, vel Baronem) Imperatoris frater natu major, sed ex secundaria uxore genitus, fratrem suum sapienter admonebat officii, sed frustra. Veritus igitur, nè tota Imperialis Familia, deficientibus undique Regulis, funditus interiret, ipse patrium solum exilio vertit, ut saltē conservaretur, qui Majorum suorum Imperatorum defunctorum cultas & parentationes statim temporibus præstaret. Deinde exigui etiam Regni Ki Regulus, titulo Tsu, ejusdem Imperatoris Chei Patrius, suum Nepotem sapiens pariter admonebat, sed frustra; quin immo monita & sana consilia vinculis & carcere pensata sunt, atque instar mancipii detentus fuit; postea veritus, nè interficeretur, insaniam simulavit. Denique alter ejus Patrius Pi Kau apertis verbis eum arguit, atque ad meliorem frugem cohortatus est; sed hac aperta admonitione excandescentes Chei, Patrium per medium corpus bisariam dissectum, humaniter contrucidavit. Confucius hos tres collaudans sic ait: Sub Imperio Tsu, sive Xan, (cujus ultimus Imperator fuit iste Chei) tres vera in Patriam pietate insignes floruerē Heroës.
2. Vir sapiens Lieu bia hoc, custodiendis reis Præfetus, ter officio exciderat. Fortè quidam volens eum caspere, sic ait: Cūm sis, Domine, adeò infelix, numquid tibi satius foret in aliud Regnum proficisci? Cui ille: Ego, inquit, officio sapientius excidi, quia rectam justitiae viam sequendo, inservio Principi; si igitur stet animo fixum, ad meas ritè partes implendas, rectam justitiae viam sequi; dic, quæso, quò possim proficisci, ubi ter officio non excidam? si autem vellem pravam injustitiae viam sequendo, inservire Principi, quid necesse est patro solo & Regno exire?
3. Fortè venerat Confucius in Regnum Cy; cùmque hujus Regni Regulus Kim Kum notam haberet Confucii sapientiam, consilium iniit cum suo primo Ministro, quomodo eum tractare deberet. Sunt enim, inquit,

in Regno *La* primarii tres Praefecti, quorum primus de clarissimis est *Ki Sun*; hunc *La* Regulus honorificentissime & quasi largius, quam par est, tractat; si ego Confucium, ut ille Praefectum suum *Ki*, tractavero, video or excessu peccaturus, adeoque id ego non possum agere. Alter illorum Praefectorum est *Meng Sun*, cui *La* Regulus non tantum honorem defert, si ego Confucium, ut ille Praefectum suum *Meng* tractavero, video res deinceps peccaturus. Praestat ergo medium, inter *Ki* & *Meng* honorem eligere. Tum addit: Sed ego jam multum senesco, virisque deficiunt; ideo jam non sum aptus ad utendum rigidâ illâ Confucii disciplinâ ac doctrinâ, qui tamen, ut eam tradat, exercendâmque proponat, consulò huc advenit, adeoque videtur de modo eam tractandi frustrâ consultare. Cùm id rescisset Confucius, exemplò illinc discessit: non quia, addit Interpres, se parcius tractandum timeret, sed quia suam ibi operam inutili fore prævideret.

¶ Regni *La* Regulus *Tan Kuan* Confucium jussicerat supremum iusticie Praesidē agere & supremi à consiliis Ministri vices gerere; ipse intra tres menses sapienti suo regimine effecit, ut totum istud Regnum *La* novi vigoris faciem indueret. Hinc vicini Regni *Cy* Regulus veritus, nè tantum potentiae incrementum & regiminiis vigor sibi noceret, octoginta puellas vestitâ & formâ decoras, agere choreas, pulsare plectra, bene cantare doctas dolosè elegit, donoque misit Regulo *Tan Kuan*, ut cor ejus libidinibus irretirent, cœptumque bonum regimen perturbarent. Appulsa extra urbem ter invisit Regulus *Tan Kuan*, stipatus suo primario Praefecto *Ki Fon*, qui tandem ei persuasit, ut eas in palati gynaceum recipi juberet; & verò harum cantu ac amoribus captus Regulus, mox publicum regimen neglexit, totosque tres dies judicialem aulam ad Regni negotia tractanda non frequentavit; hinc graviter offensus Confucius officio se abdicavit, & peregrè abiit.

5. Quidam Regni *Tsou* Incola, nomine *Cie Tsu*, mentis hebetudinem, ad fugiendos mundi honores simulans, fortè occurrit Confucio illuc appellenti, transiensque ante illius currum cœpit cantare his verbis: Aquila, heu! aquila, quomodo miserè tua perspicacia periit! olim Imperio florente apparebas, squaliente delitescebas; sic tunc bellè tempus noveras. Nunc autem quæ tempora, qui mores, ut appareas? quamvis id, quod prateriit, non possit emendando sisti; quod tamen futurum est, potest adhuc prævidendo mutari. Desiste, desiste ab imutili tuo proposito. Nunc enim

qui Magistratus gerant, non tantum dignitatis sue claritatem sustinere nequeunt, sed etiam famae, fortunarum, & vite pericula incurunt. Quo audito Confucius, mox è curru desiliens, voluit cum illo sermonem misere, expositurus, quid quemque agere deceat; sed ille gradium accedens profugit, nec potuit cum illo colloqui.

6. E Regno Iſu redecenti in Regnum Iſay Confucio occurrit fluvius; cūmque ignotum esset vadum, misit Discipulum Iſu Lx ad interrogandum duos agricolas, non procul illinc distantes, ubi esset vadum. (Hi agricultores erant Chou Iſu & Kie Nie, ambo viri sapientes, qui privatam ruri vicinam agentes unā terram arabant.) Seiscitanti igitur respondens Chou Iſu: quisnam, inquit, est ille, qui, curru vectus, habenas manu tractat? Est Kao Kien, (scilicet Confucii cognomen & nomen) reponit Iſu Lx. Famosus ille, subjungit Chou Iſu, Regni Lx Kao Kien? Ipse est, reponit Iſu Lx. Tum Chou Iſu: Si est ille, quid me fluvii vadum interrogas? Enimvero ille vadū ignorare non posset. (Quia nempe huc illuc assidue cursitabat.)
7. Discipulus Iſu Lx vides nūl responsi se potuisse elicere ex Chou Iſu, p̄gredit ad ejus socium Kie Nie, qui ibi propè arabat, idēmque interrogat. Cui Kie Nie: Domine, inquit, tu quis es? Ego sum Chou Iſu, reponit. Tum ille: Tunc ille famosi Confucii ex Regno Lx oriundi Discipulus Chou Iſu Ipſe net, reponit Iſu Lx. Deinde Kie Nie: Ego, dum malum horum temporum regimen & mundi mores semper in pectus ruere perpenio, video mihi videre præcipitem aquam, quæ quo longius fuit, eò semper in inferiora loca descendit; nec video remedii locum: quisnam enim valeat tantos tumultus & confusiones cum pace & recto regimine commutare? Jam vero tuus Magister modò huc, modò illuc cursitat, ut his malis remedium afferat; & tamen vides vano labore eum consumi. Tu igitur cur hujusmodi & hominum & locorum fugitivum Magistrum sequeris? Numquid rectius ageres, si me & mundi & honorum fugitivum Magistrum sequereris? Interea agebat boves, & semper progrediendo terram occabat, nec vadi locum illi indicavit.
8. Tum abiens Iſu Lx, horum duorum agricolarum verba & responsa resulit Confucio, qui suspiranti similis ait: Enimvero numquid dedecet hominem habere communem cum bestiis & avibus societatem? cūm ergo ejusdem speciei animalia simul versari deceat, si ego cum rot istis populis longè latèque per totam Chinam dispersis non versatus fuero, cūm quibusnam me versari decebit! Quod autem ille objicit mundi mores & Impen-

rii regimen semper in pejus ruere: certè si rectam æquitatis viam tene-rent, ego M<sup>r</sup> non stragerem illa immutare & corrigere.

9. Cùm Discipulas T<sup>s</sup> L<sup>s</sup> comitaretur Confucium in seis variis itineribus, accidit, ut longius à tergo securus illum videre desierit; tum in medio campo errans, quendam senem, qui suo scipione fiscellam bajulabat, obvium habuit. Huac interrogans T<sup>s</sup> L<sup>s</sup>: meūmne, inquit, Magistrum hāc trans-euntem forsan vidisti? Cui senex: Tu validos illos artus in terra aranda fatigare renuis; imò quid sit oriza, quid triticum, quid pisum, quid hordeum, non vales distinguere: unum dumtaxat Magistrum tuum, quem, an vi-derim, rogas, sequi satagis. Ecquis est ille tuus Magister? His dictis, mox suum scipionem humi desigit, & inutiles campi herbas cœpit evellere. Tum T<sup>s</sup> L<sup>s</sup> ratus hunc Senem fortè quemdam esse virum sapientem, qui ruri incognitus degeret; confessum toto corpore ad venerationem composito, modestè ad ejus latus cœpit stare. Quod ubi animadvertisit Se-nex, statim humaniter illum rogavit, ut in domum suam pernoctaturus diverteret. Domum ingresso T<sup>s</sup> L<sup>s</sup>, gallinam occidi, optimisque ori-zam parari, deinde duos suos filios, qui humanissime hospitem salutá-runt, in conspectum venire jussit.

10. Sequenti die, summo mane discedens T<sup>s</sup> L<sup>s</sup>, prægressum Confucium of-fendit, totamque rem illi narravit. Quo audito, Confucius: haud du-biè, inquit, iste est Sapiens in privata vita delitescens. Moxque ad eum tur-sus invisendum remisit Discipulum T<sup>s</sup> L<sup>s</sup>; sed domum appulso T<sup>s</sup> L<sup>s</sup>, jam ille in agrum abiērat. Ceterum Magistri verba domesticis exposuit, ut ea redeundi Seni postea referrent. Vir, inquit, præclaris ad regimen in-structus dotibus, si illud capessere refugiat, non agit, quod æquitas & recta-ratio exigit. Quod attinet ad debitam Juniorem & inter Seniorem huma-nitatem, vester Herus, dum in conspectum meum suos duos filios heri ve-nire jussit, indicavit eam non esse negligendam; quod verò pertinet ad debitam Subditum inter & Regem æquitatem, quomodo potest illam ne-gligere? at, inquires, vult vitam sceleris puram ducere: ideo sæculum & Magistratum fugit. Enim verò cupiendo vitam sceleris puram ducere, totum labefactare magnum humanæ conditionis ordinem; quandoquidem ne-gligit, quod debita Subditum inter & Regem æquitas exigit. Itaque Sapiens Magistratum querit & capessit, non ut opes & honores compa-ret, sed ut servet & agat, quod à se æquitas postulat. At rursus oppones: magna rectè vivendi & regendi scientia jam non recipitur, & frustrè tra-ditur.

ditur. Istud ego optimè novi; sed numquid ego ob hanc causam possum negligere, quod à me æquitas & ratio postulat?

11. In Annibus recensentur septem illustres viri, Pe Y, Xo Cy, Tu Cham, T. Ye, Chu Cham, Lieh hia hoei, Xao Lien, qui spredo mundo privatam vitam incogniti egerunt. Quia verò illorum mores & gesta multum dissimilia fuerunt, ideò de illis agens, sic loquitur Confucius: Qui mentem suam nunquam ad rem ullam abjectam demittere, morésque suos probro aliquo inficere passi sunt, numquid verè fuerunt illustres illi duo Heroës Pe Y & Xo Cy? Contrà dicuntur Lieh hia hoei & Xao Lien, ut aliorum voluntati & consuetudini sese conformarent, mentem suam subinde ad rem abjectam demittere, morésque suos penè probro aliquo inficere non renuise. Attamen cùm sic se gerebant, nec illorum verba à recte rationis ordine, nec illorum gesta ab alieni desiderii æquitate discrepabant. Atque in hoc illorum vita reluxit. Deinde dicuntur Tu Cham & T. Ye, ut sui nominis famam obscurarent, sibi unis clàm vacâsse, quin & immodicis verbis indulssisse. Attamen cùm sic se gerebant, nec illorum mores à vita integritate, nec illorum immodica verba ab æquitatis ordine discrepabant. (Nil loquitur de Chu Cham.) Ceterum quod ad me attinet, ab horum mente sum longè alienus; non enim uni tantum parti tenaciter adhæreo. In hac vita modò est id, quod fieri addecer, modò est id, quod fieri dedecet. Ubi addecer Magistratum querere & capessere, ego quero & capesso; ubi dedecet, nec quero nec capesso.

12. Olim dum Regulus mensæ accumbebat, ad singula nova fertula novus Musicæ concensus edebatur; & unumquodque ferculum suum Musicæ Præfectum habebat. Cùm autem in Regno La nobiles tres Familiz Ki, Xo, Mem, omnia perturbarent; Reguli auctoritatem, Ritus, Musicam sibi vindicarent; atque adeò ipsa Reguli Musica suis Ritibus, usu, ordine careret; idcirco omnes Musicæ tribunalis Præfeci in varias regiones dispersi abiérunt. Summus hujus tribunalis Præses Chi abiit in Regnum Cy; secundi ferculi Præfetus, nomine Kan, abiit in Regnum Tsou; tertii ferculi Præfetus, nomine Leo, abiit in Regnum Tsay; quarti ferculi Præfetus, nomine Kire, abiit in Regnum Cin, sive Xe Si; pulsandis tympanis Præfetus, nomine Fam Xo, abiit in oppidum Ho Nuy; cymbalis & listris tangendis Præfetus, nomine Wu, abiit in urbem Han Cham; summa Præsidis assessor, nomine Yam, & pulsandis instrumentis Kim ex lapide confectis Præfetus, nomine Siam, abiérunt in oppidum Hay Tao.

23. Princeps *Chen* instructurus suum filium *Pe Kin*, jure hereditario creatum Regni *Lu* Regulum, sic eum alloquitur: Hæc quatuor potissimum Regni fundamenta menti altè infige: Primum: Princeps sapiens suos Consanguineos nec indecorè deserere, nec remissè diligere debet. 2. Primis Regni Ministeris non debet præbere suâ diffidentiâ irascendi ansam. 3. Nobiles antiquarum Familiarum Posteros, nisi maxima vel inimicitatis vel perfidiae causa subsit, non debet relinquere inhonoros, aut dignitatibus vacuos. 4. Omnimodam in uno homine non debet exigere aut querere perfectionem.
24. Imperante Familia *Chen*, res-mira contigit: Quædam mulier genuit octo filios, singulis partibus gemellos, qui omnes sapientiâ claruere: primo partu *Pe Ta* & *Pe Quo*; 2. *Chum To* & *Chum Ho*; 3. *Xe Te* & *Xe Hie*; 4. *Ki Sui* & *Ki Va*.

## ARTICULUS XIX.

1. Confucii Discipuli *Tsu Cham* effatum: Qui ad aspectum periculorum non timet vitam profundere; ad aspectum lucri unam spectat æquitatem; in faciendis Ceremoniis Cy unam spectat reverentiam; in exequiis persolvendis unum spectat mœrem, hic potest dici verus sapientia Alumnus.
2. Ejusdem *Tsu Cham* effatum: Qui pusillo animo virtutem apprehendit, & instabili corde doctrinæ credit, hic nec vivus Sapientum numerum auget, nec mortuus minuit. Qui igitur possit dici aut esse, aut non esse?
3. *Tsu Cham* & *Tsu Hie* cùm ex Discipulis Confucii facti essent Magistri, quidam Magistri *Tsu Hie* Discipulus interrogavit Magistrum *Tsu Cham* de recta humanæ societatis norma. Quid de hac sentit Magister vester *Tsu Hie*? reponit *Tsu Cham*. Cui ille: Noster Magister sic sentit: Dignos frequenta; indignos evita. Tum *Tsu Cham*: Quod ego olim accepi, longè ab hoc diversum est; sic autem accepi: Sapiens Sapientes colit, & reliquum vulgus admittit; probos laudat, & improbos miseratur. Sic enim secum ipse cogitat: Magnâne ego sapientiâ polleo? Quidni ergo minus sapientes non admittam: nullâne ego sapientiâ polleo? Sapientes ergo non me admittent. Quæ cùm ita sint, quomodo verum potest esse id, quod Magister vester asserit, indignorum societatem esse evitandam?
4. Discipuli *Tsu Hie* effatum: Parvæ illæ agricolarum, olitorum, medicorum artes, quamvis tantilla existimatione dignæ sint, si quis tamen longius

- giùs suas cogitationes extendens, ad Magistratus aspiret, vèror, nè illarum exercitatio cum à proposito impedit. Idcirkò sapientiae Alumnus illis non navat operam.
5. Ejusdem *Tsū Hīs* effatum : Qui amat singulis diebus discere id, quod nondum valuit scire, & singulis mensibus recolere id, quod jam valuit discere, hic potest dici verus discendi amator.
6. Ejusdem *Tsū Hīs* effatum : Si vis pietatem seu perfectam cordis rectitudinem adipisci, multa addisce ; firma tuum propositum ; singillatim interrogata ; cuncta tibi applica. Ex his quatuor pietas ultrò emanat.
7. Ejusdem *Tsū Hīs* effatum : Quemadmodum opifices in sua officina constanter perseverant, ut opus suum perficiant, ita sapientiae Alumni debent in litteraria palestra ad ultimam usque virtutis perfectionem constanter perseverare.
8. Ejusdem *Tsū Hīs* effatum : Homunculi subreptiosos suos defectus cum corrigere deberent, mox contegunt & ornant.
9. Ejusdem *Tsū Hīs* effatum : Tres sunt veri Sapientis in affectu mutationes : dum cum procul aspicis, apparet gravis & severus ; dum cum propè alloqueris, comis & benignus ; dum cum diu audis, rectus & constans.
10. Ejusdem *Tsū Hīs* effatum : Sapiens Regis Minister postquam effecit, ut populus de vera illius erga se benevolentia nihil dubitet, tunc labores facile ab eo exigit ; si enim de illa dubitet, mox credit se injustè vexari. Deinde postquam effecit, ut Rex de vera illius erga se benevolentia nihil dubitet, tunc monita facile ei ingerit ; si enim de illa dubitet, mox credit se contumeliosè tractari.
11. Ejusdem *Tsū Hīs* effatum : Vir sapiens in rebus gravibus transilire sui numeris limites omnino non potest ; in rebus autem levibus id non ita obest.
12. Confucii Discipulus *Tsū Yen* volens carpere Magistrum *Tsū Hīs*, quòd levia doceret suos Discipulos, sic ait : Parva illa Magistri *Tsū Hīs* Discipulorum turba, quoniam modo rigandum & verendum gymnasium, interroganti modestè respondendum, hospes humaniter excipiendus & deducendus, uerumque callet ; sed hæc sanè ultima est sapientiae particula ; si enim primam & potissimum ejus partem in perfecta cordis rectitudine sitam non calluerint, ad quid ista minima urbanitatis officia conducent ? Cùm hos sermones rescivisset *Tsū Hīs* : Eheu ! tñquit, iste *Tsū Yen*, (id est *Tsū Yen*) vehementer fallitur. In tradenda sapientiae doctrina ecquid, quæso, prius cum facilitate, ecquid posterius cum labore docendum? Numquid Magister

gister debet se suorum Discipulorum capacitati adapare & Sicut enim plantarum aliae grandes, aliae parva; unaquaque species suam continet diversitatem; ita Discipuli & suam. Si igitur Discipulos adhuc imbecilles alia & recondita Magister docuerit; numquid eos decipiet? Jam vero vir sapiens qui potest in tradenda sapientiae doctrina Discipulos decipere? istam autem sapientiae scientiam a primis rudimentis usque ad ultimam ejus perfectionem posse amplecti, hoc opus est viri omnibus numeris absolutissimi.

13. Discipuli *Tsu His* effatum: Praefectus expleto suo munere, si quid virium ac temporis illi supereret, impendat litterarum studiis; litterarum Alumnus expleto suo munere, si quid virium ac temporis illi supereret, impendat praefecture studiis.

14. Discipuli *Tsu Yen* effatum: In justis persolvendis, dummodo Parentans verum cordis dolorem exhibeat, hoc sanè unum sufficit.

15. Discipulus *Tsu Yen* agens de Magistro *Tsu Chou* sic ait: Quod attinet ad nostrum amicum *Tsu Chou*, quæ aliis difficultia forent, ipse quidem sine difficultate ea agit, sed pietatem nondum assecutus est.

16. De eodem *Tsu Chou* sic etiam aiebat Discipulus *Tsem*: Spectabilem quidem aliquam corporis gravitatem præ se fert ille noster *Tsu Chou*; sed nec ipse aliis, nec alii ipsi pietatem indere possunt.

17. Eiusdem *Tsem* effatum: Hoc olim ex Magistro nostro Confucio audivi: Qui passim agendo & toram mentis vim & totam cordis affectionem impendar, vix autem vix reperias hominem: sed si vis videre, qui agendo & totam mentis vim & totam cordis affectionem sponte impendat, vide patrem aut matrem defunctæ Parentantem.

18. Idem Discipulus *Tsem*, cùm vellet arguere Praefectum *Ki* Parentibus inobsequenter, sic cœpit laudare ejus Consanguinei *Mem Chuan* filialem erga suos Parentes observantiam: Hoc ego ex Magistro Confucio audivi: Singularis quidem atque admiranda fuit Praefecti *Mem Chuan* erga suos Parentes observantia, sed illam vel sic alii possunt adhuc imitari. Quod vero patris defuncti nec subditos Praefectos, nec regiminiis normam immutárit, hoc certè quivis alias difficulter posset præstare.

19. Primarius Regni *Li* Praefectus *Mem* quemdam *Iam Fu* justitiae Praesidem creavit: hic ex Magistro suo *Tsem* modum recte fungendi officio sciscitus est. Cui *Tsem*. Jam pridem, inquit, nec Praefecti præludent exemplo, nec populi virtutem sequuntur. Tu igitur in examinandis reis, si

- criminis veritatem asscutus fueris, absit ut heteris; sed santis commisceresc, quantumque potes, clementiam in illum exerce.
20. Discipuli *Tsu Kum* effatum: Quamvis Imperatoris *Chen* improbitas non fuerit tanta, quanta vulgo fertur: quia tamen odiosum nomen post se reliquit, ideo quodvis scelus illi adscribitur. Hanc ob causam Sapiens horret in imo improbitatis loco immorari, ne omnia mundi crimina ad eum devolvantur, cive adscribantur.
21. Ejusdem *Tsu Kum* effatum: Viri sapientis defectus sunt similes solis ac lunae defectibus; omnibus eos videre licet; non enim ipse illos occulit. Deinde simul atque depulsi sunt, uti in solis ac lunae defectibus videre est, rursus omnes illum, ut prius, suspiciunt, perinde ac si defectu caruisset.
22. Primarius Regni *Guei* Praefectus *Kum sun chao* sic Discipulum *Tsu Kum* interrogavit: Vester Magister *Kum Ny*, (id est, Confucius) dic, quæso, unde tot tantaque scientiarum genera, quibus abundat, haurire potuit? Cui *Tsu Kum*: Sapientissimi Principis *Ven Yam & Vu Yam* regimen in terram nondum decidit; etiamnum hodie in hominibus persistit. Quod in illo majoris, eruditiores; quod in illo minoris ponderis fuit, rudiores hodiisque recordantur. Atque ideo nullus est vir, in quo illorum Principum doctrina ac disciplina non reperiatur. Ubinam igitur, & undenam non possit discere Magister noster? Quidve ei difficultatis, ut ubique ac semper Magistrum, à quo erudiatur, inveniat?
23. Primarius Regni *Liu* Praefectus *Xo sun vu xo*, cùm in Reguli palatio unà cum aliis Praefectis ageret, sic cœpit de Confucio loqui: Miror, quod omnes ita celebrent istum Confucium; mihi sanè videtur Magister *Tsu Kum*, Confucio sapientior. Quod cùm audisset Praefectus *Tsu fo kim pe*, mox retulit ipsi *Tsu Kum*, qui sic ei reposuit: Enimvero ego Confucio sapientior? Ego *Su*, (*Tsu Kum* est cognomentum) sum velut humilis murus, qui vix hominis humeros altitudine æquat, adeoque absque portæ ingressu, omnia domus ornamenta facile possunt foris conspicere. Confucius verò sua virtute & doctrina, velut murus multis præaltus orgiis assurgit, adeoque nisi per portam ingressus fueris, omnem interiorem parentalis Imperatorum ædificii pulchritudinem & augustam omnium Procerum opulentiam nullo modo potes intueri. Paucissimos autem, qui possint illam Confucianæ domus portam subire, reperire est; unde nec mirum Praefectum *Xo sun vu xo* talia locurum fuisse.
24. Idem Praefectus *Xo sun vu xo*, cùm quodam die Confucii famæ obteret,

Etaret, illum increpans Discipulus *Tsu Kum*: tu, inquit, Confucii fama frustrè oblatras; Confucii doctrina non potest detractione minui; cetera Sapientum turba grandiori aggeri aut colliculo, qui facile scandi ac trajici; Confucius, luna ac soli, qui minimè scandi ac trajici potest, similis est. Quamvis igitur obtrectator velit suis obtrectationibus præclaram Confucii doctrinam à se respuere; qui tamen possit soli & lunæ nocere, nihil sanè aliud efficiet, quam suam hebetitudinem & inscitiam prodere.

25. Confucii Discipulus *Chin tsu kin*, sermonem miscens cum suo Condiscipulo *Tsu Kum*, sic cœpit de Confucio loqui: Tu tantoperè Magistrum Confucium revereris ac suspicis; ecqua, quæso, in re ille te superat? Mox *Tsu Kum* eum increpans: sapientia, inquit, Alumnus sàpè ex unico verbo judicatur vel prudens, vel imprudens; idcirkò suis verbis invigilare assidue debet. Jam verò noster Confucius eò sapientia devenit, quò nemo alius possit pertingere; instar Cæli, quod nullis scalis scandi potest.

26. Fac enim, ut aliquod Regnum habeat gubernandum: id quod dicitur stabilire vitæ humanæ adminicula, (v. gr. agros, urbes, vicos, &c.) mox stabilitum; id quod dicitur erigere palæstas ad rectam morum instructionem, mox erectum; id quod dicitur publicam pacem ac tranquillitatem procurare ad multorum populorum reductionem, mox procuratum; id quod dicitur commovere discordes ad concordia unitatem, mox commotum videbis. Denique omnes vivum laudabunt tamquam sapientia Magistrum, mortuum lugebunt tamquam Patriæ Parentem. Quonam igitur pacto possit quis summam ejus sapientiam attingere aut adæquare?

## ARTICULUS XX.

1. **S**apiens priscorum Imperatorum regimen, tamquam à Confucii doctrina nihil prorsus discrepans sic ineipit referre Historicus: Imperator *Tao* suum imperium Principi *Xun* transmissurus: heu! te, inquit, Princeps *Xun*, Cælum, quod successiva Principum serie alternat imperia, nunc tibi meum transmittit. Unum autem tibi maximè commendō; verè apprehende, firmiterque tene virtutis medium. Alioqui omnes illos populos quatuor inter maria longè latèque dispersos in summum periculum & calamitates adduces; ad iras & seditiones impelles; atque ita imperii potestas tibi à Cælo tradita in æternum ruet exitium. Imperator *Xun* suum imperium in Principem *Tu* transferens, eadem etiam verborum formulâ usus est.

2. *Chin* *Tow*, alio nomine *Ly*, primus Familia *Xan* Imperator, cum priorem Imperialem Familiam *Hia*, expulso ejus ultimo Imperatore *Kie*, extinxisset; in comitiis Principum & Regulorum simul collectorum sic locutus est: Ego *Ly* puer parvulus, priusquam in animo statuisse arma ad expellendam tyrannidem capessere, ausus sum tenellum nigri coloris vitulum, (nempe juxta morem imperialis Familiae *Hia*) ad eum sacrificandum assumere, ac de mea mente, magni cæli ac densæ terræ Spiritum, sive summum cæli Dominum palam admonere his verbis: Ille Imperator *Kie* multis est nocens criminibus; non ausim ego illis ignoscere aut connivere; omnes iti viri sapientes sunt verè cæli Rectoris proceres, (vel potius dic: sunt verè tui, ò cæli Rector, proceres); adeoque non debeo permittere, ut illi obscuram sine honore ac magistratu vitam ducant. Id enim dumtaxat speleo, quod tuum, cæli Domine, cor spectat ac sancit. Qui ausim ego illi adversari? Ita tunc ego. Jam vero si peccarim, hoc meum peccatum, est tantummodo meum; quid hoc enim ad omnes istos populos attinet? Sed si omnes isti populi peccent, illorum peccata mihi adscribuntur, utpote qui malè illos dirigam.

3. *Vu Yam* primus Familia *Chen* Imperator, cum in principio suæ Monarchiae ultimum Familia *In*, sive *Xan* Imperatorem *Chen* nondum penitus debellasset, cœpit magnificentiam in miseros populos munificentiam demonstrare opum & frumenti largitione; eos autem, qui sapientia & probitate certatos antecellebant, majori liberalitate cumulavit, imò & ditavit; idcirco in libri Annalium Imperialium tom. 4. cap. *Tay xi chum* oratione, quam ipse habuit ad suos, jam jam aggressurus hostiles hujus Imperatoris *Chen* copias, sic ait: *Quavis hosti Chen innumeræ Consanguineorum multitudine stipatus incedat; paucos tamen in iis fidos ac probos reperire est; adeoque tota illa innumerabilis infidorum & malorum multicudo, non prestat nostræ exiguae piorum & fidorum paucitati.* Quid igitur moras trahimus? Ecce populorum murmur, suspicio & querela quotidie crescent, neque tardantem incusant; & omnia, que illi committuntur crimina, mibi uni adscribuntur.

4. Postquam autem Imperator *Vu Yam*, extincto Prædecessore *Chen*, imperium suum stabilivit, tunc publicum regimen longo temporis lapsu penè eversum cœpit restaurare. Itaque libram, cubitum, modium omni facta diligentia ad æquitatis normam rediit; publicas Regni leges maturè discussit; collapsa Magistratum officia reparavit. Hinc novus regiminis vigor ac robur per quatuor Imperii partes ubertim se se diffudit, felicem-

que cursus tenuit. Deinde præteriorum Imperatorum Nepotibus amissa Regna restituit; qui autem sine herede defuncti erant, Posteros, propinquiori consanguinitate illis conjunctos, suffecit. Viros sapientes, qui obscuram sine Magistratu in vulgo vitam agebant, ad dignitates evexit; & sic omnes populi per totum Imperium dispersi, hac virtutis & sapientiae fama illeksi statim aurorem & venerationem conceperunt, sequentes ultra ei subdidetunt. Sed quæ in primis cordi habuit, fuerunt hæc tria: prospicere omnibus ad commodum populorum viatum necessariis; præscribere funerum Ritus; ordinare Ceremonias Cy.

f. Deinde Historicus generatim refutans horum omnium Imperatorum *Xan*, *Tu*, *Tao*, *Vu*, regimina, sic ait: Itaque ad ritè gubernandum haec quatuor virtutes in Principe requiruntur: benignitas, sinceritas, diligentia, æquitas. Benignitate omnium animos in se colligit; sinceritate omnium fiduciam ad se attrahit; diligentia omnia Regni negotia ad optimum finem perducit; æquitate omnium corda exhilarat.

g. Discipulus *Tsu Cham* sic Confucium interrogavit: Quomodo Princeps sapiens ad ritè administranda Regni negotia se gerere debet? Cui Confucius: quinque, inquit, virtutes secesserunt, & quatuor vicia fugiantur. Quænam sunt, reponit *Tsu Cham*, illæ quinque virtutes? Haec, inquit Confucius: Beneficium sine expensa, laboriosorum operum exactio sine populorum iracundia, desiderium sine avaritia, magnanimitas sine superbia, gravitas sine severitate.

7. Quid, quæso, vocas, subjungit *Tsu Cham*, beneficium sine expensa? Cui Confucius: Ex quibus rebus populus lucrum haurit, (v. gr. agris, habitatione, arborum satione, pecudum gregibus, &c.) dum Princeps ex iisdem lucrum illi procurat, numquid hoc est beneficium sine expensa? Deinde dum Princeps ea tantum opera, quæ jure merito impónenda sunt, populis imponit, ecquis tunc irascitur? Insuper dum Princeps ardenter appetit pietatem, & appetitam adipiscitur, num forsitan inde avarus vocabitur? Præterea dum Princeps sive multos sive paucos populos, sive gravia sive levia negotia habeat, magnificam semper liberalis frontis specimen præ se fert, numquid hoc est magnanimitas sine superbia? denique dum Princeps in vestibus & pileo ita rectam componit formam, in vultu & oculis ita venerandum prætendit jubat, ut ad ejus gravem aspectum omnes venerationem ac timorem concipient, numquid hoc est gravitas sine severitate?

8. Jam verò, rursus percontatur Tsu Cham, dic, precor, quænam sunt illa  
quatuor Principis vitia? Hæc sunt, reponit Confucius: 1. qui popu-  
lum non instruit, & cùm peccat, mox interficit, hic dicitur crudelis. 2.  
qui non maturè de opere faciendo præmonet, & mox venit inspecturus  
an sit factum, hic dicitur præceps. 3. qui hæsitanter rem faciendam ju-  
bet, & allapso illius facienda tempore, mox acriter urget ut fiat, hic di-  
citur perniciosus. 4. qui viris bene meritis avarè confert præmium, hic  
dicitur depositarius.

9. Confucii effatum: Nec sapientiam apprehendere, qui Cæli legem; nec  
in virtute stare, qui Rituum honestatem; nec homines potest dignoscere,  
qui verborum artem ignorat.





# Notes du mont Royal

[WWW.NOTESDUMONTROYAL.COM](http://WWW.NOTESDUMONTROYAL.COM)



Une ou plusieurs pages ont été volontairement omises ici.

# Errata

# Corrigē

In Pref.	Pag. 6.	lin. 7.	cœpit exordium.	lege,	cepit exordium.
Pag.	2.	lin. 8.	natura ingenii.	lege,	nativa ingenii.
Pag.	43.	lin. 26.	Tractatum unum.	lege,	Tractatum unicum.
Pag.	49.	lin. 12.	illimibus oculis.	lege,	limis oculis.
Pag.	90.	lin. 31.	originem habebat,	lege,	originem ducebatur.
Pag.	97.	lin. 19.	significabant.	lege,	significant.
Pag.	115.	lin. 5.	Ten Teu.	lege,	Gen Teu.
Pag.	148.	l. 10. 26. 35.	factu opus.	lege,	facto opus.
Pag.	182.	lin. ult.	diu.	lege,	interdiu.
Pag.	186.	lin. 22.	humaniter.	lege,	inhumaniter.
Pag.	188.	lin. 21.	in pectus.	lege,	in pejus.
Pag.	201.	lin. 22.	unique.	lege,	ubique.
Pag.	211.	lin. 5.	præparatu.	lege,	festinato.
Pag.	236.	lin. 9.	sic Heu Cie.	lege,	hic Heu Cie.
Pag.	243.	lin. 33.	confœderata.	lege,	fœderata.
Pag.	244.	lin. 7.	confœderati.	lege,	fœderati.
Pag.	252.	lin. 17.	pullorum cantus.	lege,	gallorum cantus.
Pag.	357.	lin. 28.	prædefinire.	lege,	præfinire.
Pag.	279.	lin. 23.	confœderatis.	lege,	fœderatis.
Pag.	289.	lin. 25.	ac vimineum.	lege,	ad vimineum.
Pag.	297.	lin. 19.	post terræ tractum.	lege,	vel unum magnum terræ quadratnm, cuius &c.
			*		
Pag.	299.	lin. 5.	contexuerunr.	lege,	contexunt.
Pag.	322.	lin. ult.	boni.	lege,	bonum.
Pag.	332.	lin. 28.	confœderatus.	lege,	fœderatus.
Pag.	347.	lin. ult.	prædefinit.	lege,	præfinit.
Pag.	349.	lin. 11.	profectionem.	lege,	perfectionem.
Pag.	361.	lin. 31.	stabat.	lege,	itabat.
Pag.	379.	l. 25.	{ sapientes sapientibus. insipientes insipientibus.)	{ lege { sapientes cum sapientibus. insipientes cum insipientibus.	
Pag.	407.	lin. 13.	die noctuque.	lege,	diu noctuque.
Pag.	412.	lin. ult.	fructibus.	lege,	fruticibus.
Pag.	464.	lin. 17.	dolunt.	lege,	volunt.

# Errata

# Corrige

Pag. 503. lin. 30. *haec verba excepta parentandi &c. nette cum verbis sequentiibus vir & mulier &c.*

Pag. 548. lin. 28. obtemperare. *lege,* obtempera.

Pag. 581. lin. 2. cypressum. *lege,* cupressum.

Cetera benevolus Lector facile observabit & corriget.